



3
FRANCISCI
PETRARCHÆ

V. C.

DE OCIO RELIGIO-
SORVM,

LIBRI DVO.

EIVSDEM

DE VERA SA-
PIENTIA,



BERNÆ

Excudebat Ioannes le Preux, Illu-
stris. DD. Bern Typographus.

M. DC. IIII.

FRANZISCI

FEARARCHE

V. C.

DE OCCIDENTALIO

DE V. C.

DE V. C.

DE V. C.

DE V. C.

DE V. C.

DE V. C.

DE V. C.

DE V. C.

DE V. C.

DE V. C.

DE V. C.



3

FRANCISCVS PE-
TRARCHA SODALI-
TATI MAGNAE CAR-
thusiæ, S.

P R A E F A T I O.



*D*ignum Eratò Felix Chri-
sti familia, & eo temporis
spatio quo vobiscum fui, vt
aliquid eorum ipse loque-
rer, quod vestre fidei meæ
deuotio commendaret, &
communis amor Domini. sed vt vidistis, breue
tempus ad explicandum grauidum curis ani-
mum fecit, & vt omnis dulcedo vite huius
venio fugatior esse solet, veni in simul atque
abij, vique in longinqua valde materia verbo
Cesareo vti possim: Veni, vidi, vici. siquidem
nil aliud est vincere, quam voti compotem
fieri, victor est enim voti compos: Vici ergo
quod votis optabam consecutus. Veni ego in
Paradisum, vidi angelos Dei in terra, & in
terrenis corporibus habitantes, suo tempore
habituros in caelis, & ad CHRISTVM
cui militant, exacto presentis exilij labore
venturos, qui nisi vos, priusquam formaret in
utero, nouisset & sanctificasset, & praeesti-
nasset, in numerum Electorum nequaquam

A. ij.

hoc vobis rectum & compendiosum iter, & a
 Mundi deuiosissimum ostendisset. Sed ne
 quid hic plenum sperem, sancto illi gaudio,
 quod ex vestra conuersatione percepi, sola bre-
 uitas aduersata est, vix verendos vultus aspi-
 cere contigit: nunquam mihi breuior lux,
 nunquam velocior nox fuit. Dum religiosis-
 simam illam heremum, templumq; contem-
 ptor, dum deuotum silentium & angelicam
 psalmodiam stupeo, dum vos hinc omnes, hinc
 singulos mirè & humani more animi, de pose-
 rum opus, vos praedulce meum pignus ample-
 ctor, inque multum ex optatis Germani opti-
 mi, atq; vinci colloquiis acquiesco, non senti-
 enti mihi totum illud exiguum tempus efflu-
 xit, verba ne tendi collegendiq; animum fa-
 cultas defuit. Vnum quoq; continuum obse-
 quium & charitas, non illa communis, quam
 in **C H R I S T O** cunctis hospitibus exhibe-
 zis, sed singularis quidem atque praeseruida
 me sollicitum habebat, ne mea longior mora
 diuinis laudibus, vestroq; proposito forsas
 officeret, & festinare abitum monebant. Insu-
 per & confabulationes cum singulis iucundae
 & breues, quibus huc illuc, sed semper in
 id ipsum, sacra & sobria voluptate rapiebar,
 cursum continuæ orationis arcebant, obliuione
 omnium iniecta, nisi eorum quae vicissim, ex
 ore nunc huius nunc illius, velut eorundem cae-
 lestibus

P R A E F A T I O.

testibus oraculis erumpebant. quid multa? ita
 mihi accidit, ut intentus inhiansque omnibus,
 cunctaque circumspiciens, multa sparsim au-
 diens ac loquens, continuum nihil, penè tacitus
 abierim, comitantibus quidem vobis, quan-
 tum arctissime Religionis frena laxare licuit.
 Nouissime abeuntem, oculis & quod de ve-
 stra dilectione mihi spondeo ais, ac multa ad
 caelum prece prosequentibus, ut qui unum il-
 lic germanum quærerem, multos inueniui.
 nunc tandem in solitudinem propriam regres-
 sus, & totius sacrae dulcedinis memor, quam
 ceu apes dominica flosculis infidens, hausi,
 eam nunc ipse mecum in abscondito ruminans,
 multa reperio, quae illa mihi per breues dies,
 in longum profuturum tribuerint. Proinde,
 quod à me tunc ibi tumultuariè prætermis-
 sum memini, hic modò supplere propositum,
 & scribendo agere, quod viva voce non po-
 tui, si modò mea vox viva est, peccatoris ho-
 minis fessi, inscii, occupati. utcumque ante lin-
 guæ debitum digitus persoluet, nescio an gra-
 tius, sed certe durabilius: quamuis enim gra-
 uia verba præteruolant, leuia etiam scripta
 manent. Scribam ergo, etsi vestra non intersit,
 id ex me seu nouum aliquid audire, unde iam
 putem radicatum vobis habitum comparastis,
 mea interest semper, si fieri possit, talia loqui,
 si forte loquentem ipse me audiam exaudiam.

A. iij.

*que: neque qui communis prædicantium est
morbus, loquax simul & surdus sim: Ita ve-
rò moderabor stylum, ut qui ad præsentem ser-
mo mihi sit, ad absentes epistola: quamvis,
ut quod est fatear, maiore & melio-
re mei parte sim præ-
senti.*



FRAN-

7

FRANCISCI PE-
TRARCHÆ V. C. DE
OCIO RELIGIO-
forum,

LIBER I.



Nde verò nunc ordiar, seu
quid primum semi ab sens
dicã, nisi quod totus præ-
sens dicere volui, illud
nempe Davidicum: Vacate
& Videte. quod ut no-
stis, in Psalmo quarto & quadragesimo
regius Propheta, & propheticus ille Rex
posuit, in quibus quidem, non nisi duo-
bus, sed Imperatiuis verbis, spiritu Dei
licet, hominis ore prolatis, totius nisi fal-
lor vitæ nostræ series, tota spes, tota de-
niq; continetur intentio, finisq; vltimus,
quicquid agendum, quicquid optandum
sperandumq; nobis est, in vita non solum
transitoria, sed æterna. Vacate igitur &
Videte, ò scælices animæ, ò excubitores
assidui intentique, ò sollicita & deuota
CHRISTI mancipia, proq; breui serui-
tio non libertatem modò perpetuam, sed
ingenuitatem filiationemq; promerita,
ò mercimonium optabile, fausta q; rerum

A. iij.

8 FR. PETRARCH. DE

alternatio, seruire modicum non vt diu regnes, sed vt semper. Nam quot annos seruiuit homini Iacob, vt mortalis ei sponsa contingeret, & videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine. ita enim scriptum est: neque vel sic promeruit quod optabat, nisi tempus seruitij duplicaret, vobis Deo seruientibus, nuptiarum immortalium fœlicitas æterna proponitur, seruite alacres. Magnum ille & alienum gregem, inter hominum dumeta pascebat: vos singulas oues vestras, hoc est, animam quisq; suam pasceatis, lætis ac dulcibus in pascuis IESV CHRISTI seruite securi. Non habetis calumniosum dominum, qui commodis & augmentis vestris inuideat, qualem passus est Iacob, socrum Laban. sed qui vestris lucris atq; profectibus delectetur, necessitatibus succurrat, imbecillitatibus opem ferat. Vacate igitur & gaudete, qui talem dominum metuistis, non vacamus vt vacemus inquit Aristoteles, vos verò vacate vt vacetis, vacate ad tempus, vt vacetis in æternum, & sortem vestrã plaudentes, agnoscite, quæ alienarum collatione sortium clarior fiet. Lustrant Nautæ maria, omne Mundi latus ambiunt, peregrinis errant sine fine littoribus, inter ventos & fluctus
& sco-

OCIO RELIG. LIB. I. 9

& scopulos, inter freti cœlique minas, omnes cum glaciale imbre stillantibus comis, membrisque rigentibus, propè tartareas: noctes agunt, dum cuncta incircuitu miseros terrent:

Præsentemque viris intentant omnia mortem:

ut Virgilius ait.

Quid non miseriarum ac periculi subeunt bellatores viri, quibus & pluvias & ventos & grandinem ferre iugis ludus? pernoctant sub armis, humi recubant, gladiis vltro se offerunt, præcipites terram cruenta casside feriunt, ne si quid horum lentius egerint, pauidi atque degeneres habeantur: denique vulnera non sentientes excipiunt & mortem, quæque iacturarum minima sed æterna est, nudi & insepulti abiiciuntur, præda feris, ludibriumque volucris, tantorumque discriminum merces est gloria, deque mortali hoste victoria, & sæpè minor his sensus exiguus, quibus nullus vsquam mercenarius desperatior, nullus est vilior. Quid Agricolæ labor? quæ mercatorum sollicitudo? quæ literarum vigilia? qui sudor artificum? suæ luxuriosorum anxietas? qui conatus? quæ ambitiosorum sedulitas, atque circuitus? quorum omnium
rogo,

rogo, quis exitus, vel vbi terrestre lucrū,
 vel fama volatilis, vel fugitiua, & insatia-
 bilis voluptas, vel vento quolibet immi-
 tior, atq; fugatior popularis ineptissimus
 ac leuissimus auri fauor, tot tam duris an-
 fractibus huc aspirant, quo nisi peruene-
 rint, tunc quiescent. Interim secundum
 Aristotelicam disciplinam, non vacant vt
 vacent, hoc est laborant, vt quiescant, &
 laborant multum, vt quiescant parum.
 immò verò vt nihil, immò verius vt labo-
 rent magis, longè itaq; fallentur, & to-
 ta, vt dicitur, errāt via. Fallit eos: Dux eo-
 rum siue is Philosophus, siue consultor
 quispiam, siue quia cuiusq; spes opinioq;
 insita. profectò enim cum diu multumq;
 laborauerint, seu perueniant seu nō per-
 ueniant quo tendebant, crescit labor, in-
 geminant curæ, quas aceruare non minus
 solet votiui gaudium successus quàm re-
 pulsæ dolor. Quo circa rectius dicuntur,
 non vacare ad tempus, vt nunquam va-
 cent. Quantò melius securiusque confi-
 lium vobis afferro, immò quidem non
 ego, sed Propheta Dei, immò equidem
 Deus ipse. Nam sic ait. Vacate & videte,
 quoniã ego sum Deus. Quis tam huma-
 no imperio rebellis, atq; incredulus, vt
 non & tremens vocem Dei audiat, & præ-
 ceptam

ceptum submissus excipiat clamantis.
 Ego sū Deus, Vacate? hoc est enim quod
 vobis ingeritur consilium, seu verius
 præceptum: Vacate, inquam, ille iubet,
 cui obstare fas non est, quem fugere aut
 declinare nemo potest, nisi vt peccatum
 fugiens, in iratū incidat. & Vacate nunc,
 vt vacetis semper, quiescite in præsens, vt
 quiescatis in finem, Vacate: quies præsens,
 Videte requies æterna. Vacate in terra, in
 cælo videbitis & in terra etiam, quantum
 purus & deterfus, sed adhuc carneus vi-
 dere oculus potest. Mira res & prorsus in-
 solita, multo que fœlicior quàm cæteræ
 res humanæ. Labore labor, apud cæteros,
 apud vos autem quiete quies quæritur,
 nulla tam pretiosa vnquam merces, tam
 facile pretio empta est: parate animos,
 date dextras: caute omni studio, ne tam
 fœlix prætermittatur occasio, Quietem
 quæritis animæ, nihil exigitur à vobis,
 nisi vt animo quiescatis: requies requiem
 dabit, ad quam quærendam promptis per
 omnem vitam & indefessis animis labo-
 randum erat. Nec videri magnus labor
 vllus poterit, cuius tam amabilis finis ef-
 set requies: nunc nihil certè iubemini,
 nisi ne laboretis, vtque in perpetuum
 quieturi iam quiescere condiscatis: neq
 verò:

verò licet, si illam requiem amatis, hanc spernere, quæ etiam per seipsam dulcis est, & ad illam dulcissimam iter pandit, planum, rectum, tutum, delectabile. Vacate fratres mei. præceptum breue, nec difficile: non præcipitur vt pugnetis, vt nauigetis, vt aretis, vt ambiatis, vt congregetis aurum, famam, literas inanes, instrumenta, libidinum, inutilia, nocitura, pestifera sunt hæc, multo constant, quærendo fatigant, quæ sita non satiant, amissa cruciant, seruata sollicitant: nullæ prorsus inter hæc quietis partes, vndique labor, pavor vndique: vnum tutissimum, vtilissimum, facilimum præcipitur vt Vacetis. Quis omnino tam fragilis, qui hoc præstare nequeat, vt quiescat? certè si quis eorum quæ mortale genus exagitant, iuberetur, pro se quisque posset aut corporis, aut animi imbecillitatem, occupationem, impedimenta, inexperientiã, ignorantiam, excusare. Nunc quæ nam excusatio relicta est, quando nihil nisi hoc vnum præcipitur, Vacate. Est fortasse aliquis, qui hoc aut illud facere nequeat, & si enim illud latè vulgatum sit, nil Volenti difficile. sed quidem.

Nil mortalibus arduum.

Flaccus, multa tamen non difficilia modo,
do,

do, vel ardua, sed impossibilia, & penitus negata sunt homini, Vacare autem quis non potest. Hic maria, ille gladios, studium alter, aut laborem fugit: sed quis oro, requiem timeret, nisi qui seipsum odit? Vacate ergo: nunc vacando utique quiescitis, quiescendo quæ videbitis, videndo quæ gaudebitis, gaudendo autem de veritate felices eritis, quàm nulla certior felicitas, nulla sublimior. quiescendo equidem fieri animam prudentem, quæ maximè virtus in videndo consistit, illi etiam affirmant, quibus, & vera quies, & perfecta visio, & utriusque verus actor incognitus. Et tamen, heu, miseris cæcisquæ mortalibus, est qui laborem amet, & timeat atque oderit quietem. Legimus senem illum, quem quia neque necessitas ad laborem urgebat, & vita longior fatigasset, quietis indignum fecisse debuerat, ætati consulens, Imperator iussit vacare, vetuit laborare, publicis arguit negotiis, & laborem fortè, Curiam interdixit. ille verò quem gratias agere par esset, indoluit, questusquæ est, se quæ tam diu velut mortuum fleuit, donec qui quiescere iusserat, stultum senem laboribus curiæquæ restituit. Sanè qui hunc vnum legimus, quam multos tales vidimus senes, quos à rerum nexibus

14. FR. PETRARCH. DE
xibus laboriosisquē negotiis, nec ratio
vnquam, nec ætas extrema diuelleret, nisi
inuitos, & in summo beneficio naturæ
iniuriam accusantes. Satis ne igitur ve-
rum est, quod in Libro verè Religionis
ait Augustinus: Mundi amici huius, tam
timent ab eius amplexu separari, vt nihil
eis laboriosius quàm non laborare. Quis-
quis igitur talis est, eat hic, & post con-
cupiscentias suas currat, ibi quod quærit
affatim reperturus, sibi quē dictum audi-
at, laborabit in æternum, & viuet adhuc
in finem. hoc est, nec mortem quidem à
laboribus requiescet, quæ vna finis omni-
um visibilis est laborum. Sed viuet in per-
petuum, non vt viuat, modò vt laboreat.
Sic enim ait quidã, loci illius Expositor:
Vellent impij mori, sed non possunt: vi-
uunt igitur vt moriantur, Vt enim vita
Sanctorum ita & mors Impiorum perpe-
tuò est. Hæc ille. Iure itaq; laborum quis-
que auidus laborabit in æternum, & licet
corpore moriatur, animo tamen interim
viuet, quod uic Philosophi quidem genti-
um negant, aut quod prorsus ignorant, &
corpore reuiuiscet, ad supplicium, non ad
vitam, & rursus totus atque integer, &
idem ipse, & non alius, viuet adhuc in fi-
nem, vt sine fine crucietur ac laboreat in
æter-

æternum, voti compos nil habeat quod
 quærat. Dicitur enim sibi. quid mœstus
 es? quid dentibus fremes, aut quid defles?
 quod quærebas inuenisti, quod optabas
 adeptus es, Vacare metuebas & quiescere,
 iam labora. non est hic tibi vaquam aut
 quærendus labor, aut requies timenda.
 vade modò discurre, litiga, altercare, con-
 tende, clama, pugna, modisque omnibus
 labora, nemo dissuadet, nemo prohibet,
 habes eos comites, qui talibus delecten-
 tur, quique tibi olim, vt iis, delectare præ-
 stabant, & quid putas, ij te quiescere &
 siuelle ceperis non sinent, Vt enim eodem
 Libro, sed alio quodam loco Augustinus
 idem ait: Miseri homines, qui cognita vi-
 lescent, & nouitatibus gaudent, libentius
 discunt quàm norunt, cum cognitio sit fi-
 nis discendi. & quibus vilis est facilitas
 actionis, libentius certant quàm vincunt,
 cum victoria sit finis certandi: sileo quæ
 sequuntur, nam & ea me scripsisse reco-
 lo in eo Libro quem huic, & materia &
 stilo, valde cognatum de Solitaria Vita
 nuper edidi, qui hunc vt in tempore, sic
 ferie rerum præit: & omnia ad vnum ten-
 dunt, ad notam scilicet mortalis insanix,
 magis labore gaudentis quàm laboris
 fructu. Cæterum patefactius insistens,
 quid

quid inter horum erroneas ac peruersas, & iustorum sanctas ac sobrias intentiones intersit, non multò post addidit. Quare qui fines ipsos desiderant, prius curiositate carent, cognoscentes eam esse certam cognitionem, quæ intus est, & ea perfruentes, quàm in hac vita quærunt, deinde accipiunt actionis facilitatem, peruicacia posita, scientes maiorem esse facilioremquæ victoriam. non resistere animositati cuiusquam, & hoc, quàm in hac vita quærunt sentiunt. Deinde paucis interpositis. Post hanc autem, inquit, vitam & cognitio perficietur, quia ex parte nunc scimus: cum autem venerit, quod perfectum est, non erit ex parte, sed pars omnis aderit, & tota sanitas, & nulla indigentia, & nulla fatigatio aderit corpori. quia corruptibile hoc, tempore atque ordine suo, quo Resurrectio carnis futura est, induetur in corruptionem. Nimirum autem amant in actione solam pacem, & in corpore solam sanitatem, hoc in eis enim perficietur post hanc, quod in hac vita plus diligunt. iis dictis ex quibus summam spei vestræ potestis apprehendere, vos qui quàm possibile est homini, carnem spiritui subieccistis, ad eos quibus inceperam carnales, iugem st li im perum detor

de torquens. Qui ergo malè, inquit, utuntur, tanto mentis bono, ut extra eam visibilia magis appetunt, quibus ad conspicienda & diligenda commorari debuerunt, dabuntur eis exteriores tenebræ, & qui certaminibus delectantur, alienabuntur à pace, & summis difficultatibus implicabuntur. Initium enim summæ difficultatis est bellum atque contentio & hoc significare arbitror, quod ligantur eis manus, & pedes, id est facilitas omnis auferatur operandi. Neque his contentus ceptumque de industria protrahens sermonem: Plures enim, inquit, sunt qui hæc omnia vitia simul diligunt, & quorum est spectare, manducare, bibere, concumbere, dormire, in cogitatione sua, nihil aliud quam phantasmata, quæ de tali vita colligunt amplexari, ex eorum fallacia superstitionis vel impietatis regulas fingere, quibus decipiuntur, & quibus inhaerent, etiam si ab illecebris carnis se abstinere conentur, qui non benè utuntur talento sibi commisso, id est mētis actio, qua videntur omnes, qui docti aut virbani aut faceti nominantur, excellere rebus habent eam in sudario ligatam, aut in terra obrutam, id est delicatis & superfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus in-

B. j.

uolutam & oppressam. Ligabuntur ergo
 iis manus & pedes, & mittentur in tene-
 bras exteriores, ibi erit ploratus & stri-
 dor dentium: non quia ea dilexerunt,
 quis enim diligit? sed quia dilexerunt, eaq;
 initia sunt istorum, & necessariò dilecto-
 res suos ad ista perducunt. Qui enim ma-
 gis amant ire quàm redire, aut peruenire,
 in longinqua mittendi sunt. quoniam ca-
 ro sunt & spiritus, ambulans & non re-
 uertens, Hæc ab Augustino carptim mu-
 tuatus, multis abstineo, ne propè maior
 pars suscepti, operis aliena sit: Quamuis
 & longo studio, multoque pretio tem-
 poris quæsitæ, aliena non debeant videri.
 Et hæc salutare ac magnificæ non sin-
 gulorum, sed vt Senecæ placet, publicæ
 voces sint: ea sanè quæ ad rem pertinere
 visa erant, curiosius atque prolixius in-
 serui, quibus ostenderem eos, qui in hac
 vita præcupidè & superuacuo labora-
 rent, in ea quoq; vita, quam expectamus
 laboraturos in æternum, inq; finem vi-
 cturos vt dicebam, ne qua finiendi labo-
 res, spes in morte sit, & omnino quibus
 quisque dum viuit delectatur, eorum si-
 bi post obitum, vel gaudium vel suppli-
 cium reseruari. idque vno solum, veris
 quibus in Libro sapientiæ scriptum est,

vt

ut sciant quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sed potestis quoque dicere, gentilibus persuasum erat, quando præstantissimus eorum, apud Inferos amantum animas, secretis callibus celat,

Quis curæ non ipsa in morte relinquunt.

& idem animas bellatorû suis locis ascribens, cum in gramineis palestris exercentes membra luctantesq; faceret, ad postremum ait:

Stant terræ defixæ hastæ passimq; soluti

Per campum pascuntur equi, quæ gratia currum

Armorumq; fuit vivis, quæ cura nitentes:

Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Quæ licet pro scribentis arbitrio ficta sint, non tamen talia tantus ille vir fingeret, nisi opinione insita, pro varietate studiorum huius vitæ, alium atq; alium animarum statum superesse post mortem, sed is maximè similem, quandoque quisque vivens gesserit. Quam sententiam Augustino, utantur aliis licet verbis, qualia pium & catholicum virum decent, astipulante firmatam cernitis, ubi certaminibus delectatos alienandos à pace & summis difficultatibus implicandos, in-

cunctanter asseruit, quod attendens, quid
 amplius dicam Fratres, nisi quod & sæpe
 dictum est, & reperendum sæpè: Vacate.
 Et forte nunc vestrum aliquis bonæ vo-
 luntatis, sed non pariter doctus, interro-
 get à quibus rebus, amice, vacabimus? ne-
 que enim ab omnibus vacare phas est
 CHRISTI militiam professos. Neq; ego
 vos torporem doceo, sed ocium, idque
 religiosum. Vacate autem à superuacuis
 laboribus, qui corpus & spiritum fatigant,
 à concupiscentia carnis ac libidine, quæ
 votum scedant eneruantque hominem:
 à concupiscentia oculorum, quæ obtentu
 scientiæ seducit: ab ambitione seculi, quæ
 vincis atque compedibus alligat: ab in-
 utilibus curis, quæ corruunt abditis faci-
 bus, deniq; à peccatis omnibus, quæ in-
 fœlicem animam torquent opprimuntq;
 & interimunt. Inter cuncta feriamini &
 Vacate, non solum à noxia recordatione
 præteriti temporis, quæ & absens reue-
 hit, & extinctas suscitât passiones, sed ab
 omni quoque memoria præcedentium
 meritorum, vnde benè consociis menti-
 bus: fiducia mixtus torpor obrepit, quia
 potius cum Apostolo quæ retro sunt ob-
 liuiscetes, ad ea verò quæ sunt priora
 extendentes vos metipfos, ad destinatum
 perse-

persequimini, ad brauium supernæ vocationis Dei in CHRISO IESU. quodque in Antonio laudatis, in vobis explete: de quo scribitur, quod nec temporum longitudine laborum merita pensabat, sed amore & famulatu spontaneo, semper tanquam in Principis constitutus aspectu, ad profectum diuini metus concitabat, nouisq; cupiens augere præteritum, semper & memoratum supra verbū istud Apostolicum ante oculos habebat. Et illud propheticum Helix: Viuit Dominus cui asto hodie. Vbi idcirco hodie esset appositum, quia non computabat Helias præteritum tempus, sed tanquam quotidie in certamine constitutus, talē se præbere cupiebat, qualem sciebat dignum Dei esse conspectibus. Tales & vos igitur spectatores nostris oculis exhibete, futuri periculi prouidentes, præteritorum & negotiorum obliti, & immemores meritorum, & si qua etiam nunc à tergo velitis, Mundi cura, siquæ vel tenuis sibilans aura seculi blandimentis. & sequitur: Induimini remedia Scripturarum, in quibus conquirendis non laboro, quoniam prior nobis in illorum conquisitione laborauit Augustinus. Dicitur enim, inquit, & Auaris: Nolite vobis condere thesauros

vbi tinea & rubigo exterminat, vbi fures
 effodiunt & furantur, sed thesaurizate
 vobis thesauros in cœlo, vbi nec ærugo
 nec tinea &c. Dicitur Luxuriosis, qui se-
 minant in carne, de carne metent corru-
 ptionem, & qui seminant in spiritu, de
 spiritu metent vitam æternã. Dicitur Cu-
 riosis: Nolite quærere quæ videntur, sed
 quæ non videntur: quæ enim videntur
 temporalia sunt, quæ autem non viden-
 tur æterna. postremò dicitur omnibus:
 Nolite diligere Mundum, neque ea quæ
 in Mundo sunt, concupiscentia carnis est,
 & concupiscentia oculorum, & ambitio
 seculi. Horum ergo commemorat nos quæ
 commouit Augustinus, sed infinita sunt
 alia id genus ad consolationem anima-
 rum & consilium dicta. Dicitur Immiti-
 bus: discite à me quia mitis sum & humi-
 lis corde. Longas vitæ spes habentibus.
 Stultè, hac nocte animam tuam repetunt,
 à te, quæ autem parasti cuius erunt. Dici-
 tur regni cupidis & magna volentibus:
 Quid prodest homini si Mundum vniuer-
 sum lucretur, animæ verò suæ detrimen-
 tum patiatur? Dicitur elatis ac rapacibus
 diuitibus: Nolite sperare in iniquitate,
 & rapinas nolite concupiscere, diuitiæ si
 affluant nolite cor apponere. Et diuiti-
 bus

bus id huius seculi, illud præcipe, non sublime sapere, neque sapere in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat omnia nobis abundanter ad fruendum, benè agere, diuites viri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Dicitur opes suas nimis amantibus, & de illis sperantibus, neque ponentibus deum adiutorium suum: Dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis, ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui ascenderunt equos, tu terribilis es & quis resistet tibi? Etiam illud æquè terrificum alterius Prophetæ: Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde te detraham dicit Dominus. Dicitur mediocritate non contentis: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè faciatus illiciar ad negandū, & dicam quid est Dominus? & egestate compulsus fuerim, & periurem nomen Dei mei, & illud: Magnus quæstus est pietas cū sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc Mundum, haud dubiumque nec auferre quid possimus, habentes alimenta

& quibus tegamur iis contenti sumus.
 Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in
 tentationem & laqueum Diaboli, & de-
 sideria multa inutilia, & nociua, quæ mer-
 gunt homines in interitum & perditio-
 nem. Radix enim omnium malorum est
 cupiditas: quam quidem appetentes er-
 rauerunt à fide, & inseruerunt se do-
 loribus multis. Dicitur persecutionem
 patientibus: Ne mirentur omnes: qui
 piè volunt viuere in CHRISTO IESU
 persecutionem patientur: & iterum ne
 frangantur: Beati qui persecutionem pa-
 tiuntur &c. Dicitur hanc solam vitam co-
 gitantibus: Dulce lumen & delectabile
 est oculis videre Solem, si annis multis
 vixerit homo, & iis omnibus lætus fuerit,
 meminisse debet tenebrosi temporis &
 dies multorum, qui cum venerit, & va-
 nitatis arguentur præterita. Lætare iuue-
 nis ergo in adolescentia tua, & in bono sit
 cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, &
 ambula in viis tui cordis, & intuitu ocu-
 lorum tuorum & scito, quod pro omni-
 bus iis adducet te Deus ad iudicium. Di-
 citur pigris ad bona opera: Vade ad for-
 micam ò piger, & considera vias eius, &
 discite sapientiam, quæ cum non habeat
 ducem, nec præceptorem, nec principem,
 parat

parat æstate cibum sibi, & congregat in messe quid comedat. vsque quo piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus tuas, vt dormies, & veniet tibi quasi viator egestas, & quasi vir armatus: si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua & egestas longè fugiet à te. Dicitur accidiosis ac etiam tristibus: Tristitiam non des animæ tuæ & non affligas temetipsum in consilio tuo, iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis, & exultatio viri est longæuitas. miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate eius, & tristitiam longè expelle à te: multos enim occidit tristitia. & non est virilitas in illa, zelus & iracūdia minuit dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus. Dicitur violentis ac gulosis: quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem, vigilia & colera & tortura viro infimo, somnus sanitatis in homine parco, dormiet vsq; mane, & anima illius cum ipso delectabitur. quam est vita quæ minuitur vino? vinum in iucunditate creatum est, non in ebrietate

tate

tate ab initio, exultatio animæ & cordis
 vinum moderate potatum sanitas est
 animæ & corporis sobrius potus: vinum
 multum potatum, irritationem & iram
 & ruinas multas facit. Dicitur culpas suas
 excusantibus, & in Deum reflectentibus:
 Non declines cor in verba malitiæ, ad
 excusandas excusationes in peccatis. &
 illud solummodo hoc veni, quia fecit
 hominem rectum, & ipse se infinitis in-
 stituerit quæstionibus. Dicitur desperan-
 tibus de peccato: Si confiteamur peccata
 nostra, fidelis & iustus est vt remittat no-
 bis. & illud: Non secundum peccata no-
 stra fecit nobis, neque secundum iniqui-
 tates nostras retribuet nobis, quoniam
 secundum altitudinem cœli à terra, cor-
 roborauit misericordiam suam super ti-
 mentes se, quantum distat ortus ab occi-
 dente, longè fecit à nobis iniquitates no-
 stras. Dicitur diffidēti: Modicę fidei qua-
 re dubitasti? Dicitur pœnitenti: Gaudium
 erit in cœlo super vno peccatore pœni-
 tentiam agente, quam super nonaginta
 nouem iustis, qui non indigent pœniten-
 tiam. & rursus. Epulari oportebat, quia
 frater mortuus erat & reuixit, perierat &
 inuentus est. Sed quid ago, aut quid vs-
 quam est Scripturarum angulus, qui non

vti-

vtilibus minis ac monitis, qui non consolationibus ac remediis animæ plenus sit? Vacate itaq; Fratres ab occultis pestibus. & vt semel expediam, ab omnibus abstinete, in quibus vertitur animæ periculum. Nolite periculū amare cum sit scriptum: Qui amat periculum, in illo peribit: nolite frequens & ambiguum experimentum vestri quærere, Aduersarij artes sunt & caute ne propriarum virium spe, vos in præcipitem locum trahat, plurimum fiducia suggerere, credulamque animam supra seipsam attollere solitus fertur, vt cum se delusam ceptoq; lapsam senserit, erubescat etiam facilia derelinquens, sic audaciæ metus ac torpor quidam, & pessima rerum vice odium ac desperatio succedant. Vacate, hoc discrimen & hos dolos, subdite animas vestras CHRISTO, iugumque eius ferte denotis ceruicibus & nihil est dulcius, illi seruite in timore, & exultate ei cum tremore. Quod si Regibus & superbis terre iudicibus præcipitur: quanto magis humilibus CHRISTI seruis præceptum intelligitur: Mementote mandatum eius, & secum perculsi fœderis, quo die deserto sæculo ad illius imperium transfugistis, Habete ante oculos professionem vestram, vo-

tum

rum seruate, implete regulam: id si letè facitis, satis est, de reliquo sæpe anceps virtuti iuncta tentatio. Nam qui in qualibet, seu corporis, seu animæ, opus sit extremum potentiæ suæ facit, citò desinet, non posse enim immodicum conatum à lassitudine procul abesse compertum est. Omni custodia seruate cor vestrum, & caute iugi studio, quæ damnosa cognoscitis, quod facile erit expertis in sæculo. Quid insidiosum quid violentum, quid præcipuè moribus vestris formidabile fuerit, quæ nocentiora sensistis, cautius declinate: hunc ira torquebat, hunc libido, hunc superbia extollebat, hunc deprimebat accidia, hunc auaritia, & hunc gula, hunc tristis conquebat inuidia, quisque familiarem suum hostem in prælio recognoscat, & de eo maximè caueat, vnde sibi amplius nocere solitum recordetur, Neq; vera vos tutos arbitremini, quia in castris CHRISTI agitis, quamuis sub optimo Duce militetis, & castra munitissima sint ac fortissima, nullus tamen locus ad plenū tutus æstimandus est, quem insomnes & feri hostes obsident, atque circumsonant, nisi pro vallo excubent armati vigiles, contra insultus insidiasque hostium, animis atque corporibus inten-

ti. Hos autē ubi quæram, si inter vos non inuenero, aut de quibus potius, quàm de vobis dictum reat illud Esaiæ: Super muros tuos Hierusalem posui custodes &c. vigilias & excubias vestras noui, quæ mihi tanto peccatori & nuper & olim lachrymas exciuerunt, præcipuè cogitanti, nequaquã vos esse de numero istorum, de quibus est dictum: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. sed CHRISTVM multo etiam magis corde quàm labiis venerari. Habet hoc autem vera virtus, excitat animos, pungit affectus, & sicut blesi linguam spectata virtus animi commendat, sic si etiam virtutis opinio defuerit, loquens de virtute Demosthenes non placebit. Vestræ verò me diuinæ laudes mulcent fateor, non minus quàm si peccator quispiam, multa arte, vel ipse mihi ad aurem Aristoxenus personaret, musicam nempe suauitatem, deuotio mentis æquiparat. minus dixisse videor, & transcendit quæ ipse me sæpius cogitatione reuerberans, interdum vereor ne hæc qualiacunque ex me, minus auctoritatis & minus habitura sint fidei, neue actionis lenitas rerum pondus imminuat, & audire merear quod ille cæcus natus illuminatus à Domino: in

pecca

peccatis natus es totus, & doces nos, & sic
eiiciar foras. Sed hanc mihi sollicitudi-
nem imminuit vestra charitas, & ipso
CHRISTO simplicitas mentem iudicans,
& potius auditura quid loquar quam in-
spectura quid viuam. Sed ad vos reuer-
tor, quos etsi sacra heremus, vigilq; custo-
dia præstare tutos ab omni discrimine
videatur, intentissimos & paratissimos ta-
men ad omnia esse oportet. Tunc enim
plena securitas certaquæ demum pax spe-
randa vobis est, quando fortiter atq; fœ-
liciter exacta militia, vitæ huius ab exi-
lio, in patriam & è castris in regnum,
atq; in regno Regis eritis translati, & facti
de laboriosis militibus veterani, emeriti,
suadente præmio. Interea nolite multum
confidere: neque enim antè periculorum
aderit, quàm vitæ finis: circumspicite sem-
per, & velut in acie galeati loricatiquæ
strictis gladiis stete, nec bellatores egre-
gios frangat labor, qui quantumcunque
sit, præmio par non erit. non magis non
dicam quam vna olympias mille annis,
sed quam & eternitati dies vnus, isq; bre-
uissimus, facite ergo pro cœlesti Rege, &
pro vestra salute, facite quid pleriq; mor-
taliū pro terrenis dominis, & pro par-
ua pecunia facere solent: hostes vestros
nostis

nostis optimè, quòd multis iam causa victoriae fuit. In omni quidem bello quid agant hostes, & quid possint, scire optimum: subita enim terrent & impræmeditata perturbant: aduersus cognitos conatus, facilius est cautela, & leuius accedit quicquid à longe præuideris. Hostes itaque vestros scitis, neque quid agant, aut quid cogitent, ignoratis, occurrere partibus impiis, & vitate tria in primis hostium atque armorum genera. Mundi laqueos, Carnis illecebras, Dæmonū dolos: ille vanissima spondet: hic quæ familiariter blanditur, illi autē pessima consilia mortalibus insusurrant, totum in eo vertitur ut vacetis, in hoc unum intenti ut animos vestros ab omni horum consortio distrahatis, ne aliis fortè negotiis implicitos improuisi opprimant. Mundus fallit, mulcet Caro, Dæmones impellunt, nulla vobis inde spes, nulla hinc voluptas, nullum vitæ consilium, omnes pariter nostras in perniciem mortemq; conspirant, & quamuis ut ab ultimo incipiam, inuisibiliter hostium vllum esse confidam, qui non vitam nostram atque habitum, & habitaculum exhorreat, vbi tamen non timendum rear, quando Paradisi limen ille non timuit, sed ingressus, & ho:

& hominem ad imaginem Dei, & ipsius manu factum dolis aggressus vicit, stravit, expulit, & in exilium ac mortem trussit. Et quid loquor, aut quantulum fuit Adam fallere, qui CHRISTVM Dominum temptavit. Omnia quidem audet superbia, & invidia stimulatus, sed in nullos plura quàm in CHRISTI famulos molitur: vbi enim fœlicitas amplior, & plus invidiæ loci est. Vacate ergo atque omnibus Dæmonum & eorum principis consiliis abstinete: mendax est enim & mendacij pater, sic eum viua veritas: talem quisquis eum in societatem admiserit, inueniet. Multa iste quotidie ad aurem cordis suggerit, claudite illam & aduertite, & spuite os impurum & male suadum: nolite tremiscere, CHRISTVS suis militibus in acie laborantibus opẽ fert, alioquin haud dubiè tot bellatorum fatione deficerent. Infœlix quisq; eum non inde repulerit, meritoquẽ passurus quod ait Psalmus: vt scilicet Diabolus stet à dextris eius. fugite hanc funestam commutationem. Induistis dominum IESVM CHRISTVM, & armaturam eius vexillum crucis suæ vestris frontibus affixistis, sub CHRISTO iurastis, indixistis bellum Sathanæ, quod iam inde ab exordio

dio generis humani ille vobis indixerat,
 habetis Ducem, cui vel signi solius aspe-
 ctum, vel nominis sacri sonum hostes fer-
 re non valeant, vinci hoc praelio non po-
 testis, nisi consenseritis. Nemo consen-
 tiat, nemo transfugiat de victore ad vi-
 ctum, à potente ad validum, ab optimo
 ad pessimum. In sæcularibus historiis ir-
 risum legimus Labienū, qui relicto Cæ-
 sare victore, ad Pompeium transiit, &
 cum tamen inter partes illas, vt fortunæ
 iudicium apertum, sic clarum, sic occulta
 discretio: quanto iustius irridendus, quā
 CHRISTO, victoriosissimo Rege deserto,
 ad illum confugit, cuius non proprium
 tentare, vinci, fugere modo fuerit, quā
 resistat primumque eius impetum ferat.
 Sicut enim scriptū est: Resistite Diabolo,
 & fugiet à vobis. Sanè cum istud cunctis,
 tamen vel maximè vobis est debitū. Cum
 enim cæteri homines, qui CHRISTI no-
 mine gloriantur, semel tantum in rege-
 neratione sacri fontis, vos & tunc, & rur-
 sus in voto sanctæ Religionis abrenuntia-
 stis Aduersario, desertisque castris illius,
 quorum stipendium est mors, feliciter
 CHRISTO signa tulistis, conuersi perse-
 uerate fideliter, nil hosti molestius fieri
 potest: dolet iste eouidem, fremit, ualeat.

tur, sed quid agat, nihil amplius potest,
 quàm quod sibi aduerso Duce permitti-
 tur? Sperate ergo, & æquanimis estote, ni-
 hil omnino contrà suos in quorum acie
 vos estis CHRISTVS illi permisit, nun-
 quam autem permittet, nisi pro ipsorum
 exercitio ac salute, valdè autem imbecil-
 lis est qui nil potest, nisi quod eius hostis
 vult, discamus què nil nobis fidere, sed le-
 uare oculos in montes, vnde veniet auxi-
 lium nobis: non tamen à montibus auxi-
 lium nostrum, sed à Domino, qui fecit
 cœlum & terram. Solent bellorum Duces
 suos milites in pericula mittere, vt eorū
 virtutem atque animos agnoscant: at
 non ita noster Dux, quippè qui nos ante
 omne sæculum nouit, sed idè nos exer-
 cet, vt nobis noti simus, ne vt cæci & in-
 grati nobis tribuamus, quæ illius sunt.
 Præclare Marcus Tullius quodam loco:
 O dij, inquit, immortales, vobis enim tri-
 buam quæ vestra sunt (quid Religiosius,
 quid gratius, aut quid omnino modesti-
 us, modo non Deos iste, sed Dominū con-
 filiorum suorum & rerumquè gestarum
 fateretur Auctorem, quod fortasse face-
 ret, si inuenisset à se scriptum, non conue-
 nire Philosopho dicere Deos esse, sed vñ
 fabricatorem Mundi Deum. Sed ea mihi
 de

de illius ingenio spes est, vt etsi vel metu aliquo, vel abusu, lingua se calamus vulgarium torrente raperetur & errorum, animus tamen insolito permaneret, præsertim qui præter naturale autem acumen & insitam rationem quam inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciuntur sempiterna quoque virtus eius ac diuinitas, & vnum fabricatorem Mundi Deum à Platone, & à Discipulo eius Aristotele, vnum Principem inuentibus didicisset) quod si ille diuini numinis recognoscit & prædicat, coniurationem Catilinæ depræhensam, indicatam & oppressam, coniurationem fateor grauem atque pestiferam, & à domestico quidem, sed mortali & visibili hoste conflata: quid Christianus dicet homo, cuius inmortem hinc domesticus & mortalis & visibilis, hinc inuisibilis & immortalis hostis accingitur, quando vt ait Ambrosius, iter vitæ occulta Dæmonum infestatio, velut Latronum obsidet multitudo, quibus per omnes vias supplantatores inuisi, animarum laqueos tendunt. Innumerabilium mortibus expauescendos. Et Apostolus Paulus: Non est nobis colluctatio aduersus Carnem & Sanguine, sed aduersus Mundi Rectores tenebrarum ha-

rum &c. Et Augu. in eo libro, quem sæpe hodie in testimonium accersor, loquenti enim de Ocio Religioso, quid opportuni-
 us, quam veræ Religionis liber astipule-
 tur? Omnis, inquit, hominum domina-
 tus, in homines, aut dominantium aut
 seruientiũ morte finitur, seruitus autem
 sub Angelorum malorum superbia, per
 ipsum tempus quod est, post mortem ma-
 gis metuenda est, illud etiam cuius co-
 gnoscere facile est, quod sub homine do-
 minante liberis cogitationes habere cõ-
 cessum est, illos autem dominos in ipsis
 mentibus formidamus. Hos igitur non
 Dominos, sed Tyrannos superbissimos, in
 ipsam mentis arcem scandentes, à propu-
 gnaculis arcere, atque horum nostræque
 carnis coniurationem, sub nube transito-
 riæ voluptatis abdicandæ voluptatis ab-
 ditam deprehendere, vitare, comprime-
 re, nonne magnificum diuinæ gratiæ do-
 num sit, vt cui contigerit, ò Ciceronia-
 nam illam vocem suam meritò faciat: O
 Deus immortalis, tibi enim tribuam quæ
 tua sunt, & quod sequitur dicat: Nec verò
 possum meo tamen ingenio dare, vt tot
 res, tantas, tam varias, tam repentinas in
 ista turbulentissima tempestate mea spõ-
 se despexerim. Tamen profecto animum
 meum

O C I O R E L I G. L I B. I. 37

meum conseruandæ animæ cupiditate
intendisti, tu me ab omnibus cæteris co-
gitationibus, ad vnam eius solam contu-
listi, tu denique in tantis tenebris erroris,
& inscientiæ clarissimum lumen pertuli-
sti menti meæ. Hæc Ciceroniana, pro re
paucissimis & immutatis in vsus nostros
sic vertere libuit, vt animæ salutem & de
inuisibili hoste, & doctore cognoscere,
tali etiam teste discamus. In hac senten-
tia, in hac spe igitur Fratres stete. Sicut
enim multa commisimus, quibus mors
haud dubiè debebatur, nisi diuina cle-
mentia succurrisset: sic nihil est, quod
non peccare potueramus, nisi nos à tantis
malis diuina prouidentia perseuerasset:
Vtrunq; pariter Dei munus & non ægro-
tasse, & ægritudine liberatum esse, & mi-
serum non fuisse, & misericordiam non
meruisse. Quorum nempe vtrum sit ma-
ius dubitare potest: Mihi quidē primum
videtur integrius: secundum verò ipsa
contrariorū collatione conspectius, peri-
culiq; memoria gratius. In hac reuerentia
& sobria diuini operis recogitatione con-
sistite, bona omnia illuc referte, vnde
sunt omnia: talibus enim opinionibus
circumseptos, certum habeo inuadi posse
sed non opprimi. In hac autem vita tam

ardua, tam augusta, tam vepricosa, tam
 lubrica, tot obicibus interrupta, tot ob-
 sessa latrunculis, tuta cautio est, suspecta
 securitas, & quæ non spiritales tantum
 profectus impediatur, sed etiam tempora-
 les. Quæ enim, quæso, ista securitas est, cui
 dum tranquillior stabiliorque videbitur,
 subito metus interuenit, improuisa cala-
 mitas, mors inopina. Cum enim dixerint,
 pax & securitas, tunc repentinus eis su-
 perueniet interitus. Igitur non dormia-
 mus, inquit, sicut cæteri dormierunt, sed
 vigilemus & sobrij simus: utique nouerat
 quid periculorum securitas secum uehat,
 nam quis diuumeret, quod non dicam
 homines, sed potentissimos populos illa
 pessundedit: Vnico Argumento, eodemque
 clarissimo contentus ero, finite reuocem
 vos parumper, ad exempla gentilium.
 Romanos gentium certè Dominos, &
 terrenæ Ciuitatis absque æmulo Princi-
 pes, Carthaginensium metus, virtutibus
 semper claros, perpetuoque deteriso ex-
 exercitio seruabat, armorum periculorum-
 que frequentia, eiusdem rubigine vitio-
 rum obscurauit, parta inde cum securita-
 te segnities, quod præuidisse ac prænun-
 ciasse dicitur, iste vir, qui igitur tunc &
 in Ciuitate habebatur optimus, & hac in

re ipsa qua sapientiae famam habet, Ca-
tone sapientior est inuentus, cuius sen-
tentiae aliorum quoque illustrium con-
ciuium dicta conueniunt, Ap i Claudij &
Q. Marcelli. Nec sefellit horum quisque,
si quidem rei bellicae disciplina & Imperij
gloria, quas metus & negotium & labor
in suo vigore tenuerunt, euerterunt se-
curitas ocium & quies, ne illud praegravi-
ter a Poeta Satyrico dictum sit.

*Nunc patimur longe pacis mala, senior
armis*

*Luxuria: incubuit: victumque ulciscitur
orbem.*

Vobis quoque vestroque coetui fortasse
non expedit omnimodo pacem frui, ne vna
cum pace, pacis comites securitas incon-
sulta, & delicati ac molles affectus, deni-
que luxus & vitia reuertantur. Nec est vo-
bis optandum, quod diu haec fragilis vitae
militia protenditur, aduersario caruisse,
ne simul & virtutum exercitio careatis &
praemio. Vnde dictum fuit Apostolo: Suf-
ficit tibi gratia mea. Dum rogaret, vt ab
eo discederet stimulus Carnis. Et addita
ratio: Nam virtus in infirmitate perfici-
tur. Hanc & vos gratiam petite, & cum
eodem Apostolo, in infirmitate vestra
virtutis perfectrice gloriamini, vt in vo-

bis CHRISTI virtus inhabitet: Optate
 bellum, non quidem propter se, sed pro-
 pter CHRISTI gloriam, & æternam pa-
 cem. In hoc sanè temporali bello, sempiternæ
 pacis, prævio patientiæ longanimitatis & fidei
 clypeo, vos armate, nihil erit Aduersario
 formidandum, nunquam tamen desinet, tanquam
 leo rugiens lupusquæ famelicus circum ouilia
 vestra versari, obiiciet ille vobis in fide scrupulos,
 quibus pedes ad salutem properantes vulneret,
 tardet, impediat. Audite Regem nostrum
 proclamentem: Si mihi non creditis, operibus
 credite. Proinde si CHRISTO non creditur,
 cui credetur? an saxi? An ebori? an ligno
 muto exanimi, os habenti nec loquenti?
 manus nec palpanti? pedes nec ambulanti?
 aures nec audienti? nares nec odoranti?
 oculos nec videnti? Cui ergo similem
 fecistis Deum dicit Esaias? aut quam
 imaginem ponetis ei? nunquid sculptile
 conflabit faber? aut artifex auro formabit?
 vel illud aut fortè præsecurius, pretiosiori
 materiæ argento aut auro credere, quia
 scilicet simulacra gentium argentum & aurum,
 opera manuum hominum, quibus similes
 fiant, qui faciunt ea, & omnes qui
 confidunt in eis. Nostra tamen ætate tam multos eis credere
 cerni-

cernimus, colitur tamen argentum & aurum tanto cultu, quanto nec CHRISTVS ipse colitur, & sæpè viuis Deus, inanimati metalli desiderio atque admiratione contemnitur, non tamen adhuc aurum & argentum Deus esse creditur. Sed an forsitan pagano ritu religiosius insanitur, an melius Herculi creditur furioso, an Marti homicidæ, an Ioui adultero & incesto, an Mercurio proditori. Etsi enim verum sit quod Propheta ille maximus ait: Omnes dii gentium Dæmonia: Tamen illud subintelligi oportere arbitror, vel homines Dæmoniis seruietes atque simillimi, quæ apud eorum quoque cultores, suarumque scriptores rerum facile vigilans lector inueniet: apud nostros vero non dubium est quidem, atque in primis Lactantium Firmianum, qui omnem deorum scenam turpesque latebras scelerum aperiens, totam rei seriem qui fuerint, quid egerint, quam mores, quæ vita, quam exitus, quæ sepulchra operosissima disputatione complectitur, in eolibro, quo Institutiones veræ fidei tractare adortus, utinam tam nostra affirmare potuisset (ut Hieronymi verbo utar) quæ facile aliena destruxit. Quid verò si CHRISTVS constanti fide nondum creditur,

ditur, expectabitur, ne Messias? seu verius
 vtiue venturus expectabitur Antichri-
 stus, quid hostis resistendi animo, non vt
 Dominus obsequendi proposito expe-
 ctandus est. Messias enim verus Dominus
 iam venit, ipse est CHRISTVS ille, qui
 exiuit à Patre, vbi in principio erat Ver-
 bum, & Verbum apud Deum, & Deus erat
 Verbum per quem scilicet omnia facta
 sunt, dissimulata tantisper Diuinitatis
 maiestate, descendens sub seruili habitu,
 Verbum caro factum est, & habitauit in
 nobis. Quid igitur seminant Iudæi, aut
 quis tantus & tam latens sopor, misero-
 rum oculos oppressit, vt sperare & expe-
 ctare malint, quàm habere per quẽ salui-
 fiant: Nam vt ait Augustinus: Quid adhuc
 expectant alium CHRISTVM, cum hoc
 Prophetarum legunt, & impletũ vident,
 quæ impleri non potuerit nisi per CHRIS-
 TVM. Nos ergo Fratres hunc tenentes,
 Creatorem, Redemptorem, Saluatorem,
 optimum & nobiscum familiariter con-
 uersatum, absit vt aliũ expectemus, præ-
 ter eum ipsum ad iudicium reuersurum:
 Quem secundũ eius Aduentum, læti vti-
 nam & intrepidi videamus, illi autẽ præ-
 senti gaudio, per iustitiam atq; insolitum
 se præliantes, futuri spe inani, & stultissi-
 ma

ma & expectatione se torqueant, quoniam nempè sex etatum nulla longior hac, quæ modo agitur, cuius initium CHRISTI ponimus ab Aduentu: Quid igitur prestolantur insani, nescio quem suę gentis esse venturum, qui iam pridem suis sedibus auulsi, & toto terrarum orbe dispersi, nec ad aliud reseruati, nisi ad sui ludibrium & ad Testimonium eius quem crucifixerant, IESU CHRISTI inuidum valent, aut volunt intelligere impletum in eis, omne quod in Psalmo legunt, ex ipsius persona Davidico ore Prophetarũ: Resuscita me, & retribuam eis. Post eiusdem Resurrectionem strati diuino iudicio, totiens attriti testantur historie vulgaræ, testatur euersa Hierusalem. Cuius quanta fuerit ruina, vt omittam fœdam famem, & obtentu famis incredibilia & horrenda facinora, quæ locus iste non capit, ipse Cæsarum numerus indicio est, qui quoniam omnem similitudinem excedit veri, apud illius temporis historicos & præcipuè Iosephum, virum non mediocris auctoritatis, qui ei bello interfuit, quærat. Quorum malorum omnium, quod cuiquam pio dubium esse non debet, quid aliud causæ fuit, quàm ista gentis impietas, & ingratitude in CHRISTVM

STVM principium omnis cladis, ab hac
 stulta & indigna expectatione profectum
 est. Quod Christus ipse similem peritu-
 ramque urbem miseratus prædixisse le-
 gitur, adiecta causa, eo quod non cogno-
 uisset tempus vocationis suæ: quod pro-
 fectò cognitionis necessariæ defectus, ex-
 pectationis superuacuae causa fuit, res
 non omnibus forsitan nota, nec tamè ideò
 minus vera. Cuius certè Tranquillus, cu-
 riosissimus rerum Scriptor meminit: Per-
 crebuerat enim, inquit, Oriente toto,
 læta & constans opinio, esse in fatis, vt eo
 tempore Iudæa præfecti rerum potiren-
 tur. Licet iste autem vt paganus homo, &
 suspicionis apud nostros suo iure fati
 nomen vsurpet, & vaticinium in Vespasi-
 fiani principatu dicere velit impletum,
 qui in Iudæa bellum gerens, ad imperi-
 um est assumptus: verè tamen ea nobis
 expectatio Messiaæ credenda est, quæ iam
 ante per ipsum CHRISTI tempus imple-
 ta erat, id cæci coràm positum non vi-
 dentes, quod iam transierat expectabant,
 sicut & nunc hodieq; expectant, & vsque
 in finem vt credimus expectabunt: sed
 tunc ea fiducia elati eludet eos Dei sapi-
 entia, quam ipsi crudeliter & irreueren-
 ter eluserant, & ligno crucis affixerant.

Quali

Quasi iam futuri rerum Domini, Romanum excutere voluerunt iugum, cæso Præposito. & Legato Syriæ fugato. Quæ rebellio materiã præbuit Romanis traiciendi in Asiam, & Hierosolymam obsidendi, Duce belli Vespasiano, qui secum in arma primogenitũ suum duxit, cuius tandem cõsilio ac virtute vrbs enersa funditus, ac deleta gens est. Et de Iudæis quidem hætenus. Quid deinceps, an dolosas Mahometi fabulas, an Philosophorum dissonas & inextricabiles ambages, ac temerariũ virtus Auerrois, ac venenata conuitia, & sputa ad cœlum putrido ore transmissa, an forte poti⁹ de ††† ne sacrilegia Fotini, vel Manichei nugas, vel Arrij blasphemias audiamus: Quæ si omnia procul absunt à pectoribus sanis, si neque miserabilis paganorum error & obstinata Iudæorum cæcitas, neque odibilis Sarracenorum furor tangunt animos, aut delectant, aut vllam penitus spẽ ostendunt, quid circumspicimus, quid agimus, aut quem inter huius vitæ naufragia portum petimus, præter CHRISTVM, in quo quisquis spei suæ anchoram iecit, variis quamquam persecutionum procellis, & expositum fluctuare & laborare quidem potest, mergi nequit, aut perire orante isto
 simul

simul ac iubente: Ne deficiat Fides vestra.
Nihil impossibile Deo est. In me est omnis impossibilitas assurgēdi tanta peccatorum mole obruto, saluare ille potens est, ego saluari nequeo, quantalibet enim clementia Dei sit: Certē iustitiam ratio excludit. Et quamuis immensa misericordia, ad mensuram meæ miserię redigenda est: nam nec actus agentium, circa patiens in dispositum operantur, vt Physicis placet, & cum aridam stipulam tenuis fauilla succendat, aquæ vis validum extinguit incendium. Hæc & quæcunque similia obseruantur animis, siquidem salutarem metum discusso torpore afferunt, quædam tacita velut Angelorum nos amanti-um consilia æstimanda sunt, sui spem omnem fiduciamq; afferunt, commentantur hostilia, & ancipites ad ruinam vię: quo enim sequacem animam ducunt, nisi ad desperationem malorum omnium extremum. Nihil verò vos terreat, nam nec diuina potentia vllis naturę terminis circumscibitur, neque solum in iis quæ disposita sunt, vim propriæ actionis exercet. Sed quæ indisposita sunt disponit, & misericordia Dei, miseriam longè transcendit humanam, iustitiamque etsi non extinguit, tamen temperat ac fienat. Ma-
le

lè de Deo sentit, malè de potentia & misericordia Dei opinatur, quisquis & misereri illum velle pœnitentium, & tantum misereri posse iudicat, quantum se peccare, cum peccatum hominis quantumcunque sit, finitum certè sit, infinita Dei bonitas, infinita potentia. Itaque salua spe salubri, salua sunt omnia: vbi illam abieceris actum est. gubernaculum carnis, animæ nauigium in huius vitæ pelago, rerum fluctibus & tentationū flatibus agitur, nusquam portus quo spes dirigebat, nusquam cœlum quod spes ostendebat, sed vndique pontus, vt ait Maro, vndique naufragium & procellæ. Hæc igitur summa sit: spem tenete, nemo illam vobis extorquebit, & si magna sint valde quæ speramus, magna sunt nobis, Deo nihil est magnum, ante quemque, tanquam nihilum substantia nostra, & cuius ante oculos mille anni tanquam dies hesternæ quæ præterit, magna sunt fateor immò quidè immensa, si humanis meritis æquentur, ad largitorem attollite mentes, pusilla omnia nec possibilia modò, sed facilia videbuntur. Nam quid est, oro: quod mutare spem & titubare animos cogit? digni nobis supplicio videbimur, misericordia indigni, & vtrobicunque non fallimur,
 nostrum

nostrum enim erat affligi, illius est miseri-
 reri, & dignum est, ut indignitatem no-
 stram dignitas eius absorbeat: quod pro-
 fectó non fieret, si peccatum hominis
 posset Dei misericordiam impedire. Esto
 igitur, nos odio dignissimi, ille mansue-
 tudine & misericordia dignus est, dignus
 est parcere, dignus nihil odisse omnium
 quæ fecit, dignus nullum perdere omni-
 um, quos tradidit sibi Pater, ista voluenti-
 bus, erga genus humanum Dei opera in-
 effabilis, cum cuncta mirabilia & plena
 gratiæ videantur, nihil impossibile vide-
 bitur, nihil incredibile, stante hoc scilicet
 fundamento, omnipotentissimum atque
 optimum Deum esse, ut nil tam magnifi-
 cum cogitari quæat, quod iste non pos-
 sit: nil tam beneficum, quod non velit.
 Supra hoc fundamentum, quicquid fides
 extruxerit, solidum stabit, & hostilibus
 omnino cuniculis atque arietibus incon-
 cussum. Quicquid iste suggererit, omnis
 illius impetus ac vis, promptis ac facili-
 bus retundetur obiectis, iis in fidem rece-
 ptis, omnia plana sunt, venisse Deum inter
 homines, partu virgineo editum, & habi-
 tasse in nobis, docuisse viam vitæ, crucifi-
 xum, passum, mortuum, descendisse ad
 inferos, tartarum spoliasse, surrexisse à
 mortuis,

mortuis, ascendisse ad cœlos, ad iudicium
 expectari: Magna sunt fateor, sed quid
 horum omnium impossibile Deo est? quod
 si omnia potuit, quid est quod noluerit,
 omniumque quæ ad creaturæ suæ salutem,
 pertinere cognosceret? Aut quid non po-
 tuit CHRISTVS Dei Filius, Deus verus
 implere, quæ præscire & prænuntiare po-
 tuit Esaias Dei famulus, pius homo, nec
 Esaias modò nec Prophetæ alij, sed Sibyl-
 la vt Aduentum Dei omnis conditio te-
 staretur. Iste enim ait: Ecce Virgo conci-
 piet & pariet Filiû. Quid Iudæi cogitent,
 quid expectent, miror hæc legentes, pu-
 det puto mutare sententiam, atqui mise-
 ris libera voce denuncio, impletum Esaiæ
 oraculum in Maria, nec iam aut amplius
 parituram, mitto alia huius, & ceterorum
 sacra præconia de CHRISTO. Quæ & at-
 texere longum erat, & minimè necessari-
 um, quod & nimis multa, & nimis omni-
 bus nota sunt. Sibylla autem Erythrea
 quid de CHRISTO prædixerit, audiamus.
 Siquidem de Cæsare Augusto loquens, sub
 cuius imperio nasciturus de Virgine
 CHRISTVS erat, inde, inquit, taurus paci-
 ficus, leui mugitu, Mundi climata sub tri-
 buto concludet. Ecce iam, vt Euangelicæ
 concordant historiæ, vbi traditur, exiisse

FR. PETRARCH. DE

edictum à Cæsare Augusto, vt describe-
retur vniuersus orbis. De Aduentu autem
Domini, breuiter primo vates eadem at-
tingit his verbis: Cuius, inquit, diebus
Agnus cœlestis veniet. Nec multò pòst,
idipsum latius exequitur. In vltima, in-
quit, ætate humiliabitur Deus, & humi-
liabitur proles diuina, iungetur Humani-
tati Deitas, lacebit in fœno tanquam
agnus, in puellari officio educabitur Deus
& Homo. Non intelligo quibus verbis il-
lud clarius Euangelista, qui vidisset ex-
primere potuisset, quàm instincta diuino
spiritu mulier, instinctu sacræ mentis ex-
pressit. Quin & Ioannis præcursoris ori-
ginem præhabuit: Signa, inquit, præcedent
apud apellas, mulier vetustissima præcurso-
rem capiet. Deinde ipsius Domini pro-
gressum atque exitum sic complexa est:
Elegit sibi, inquit, ex piscatoribus, & dele-
ctis numerum duodenarium, vnumquæ
Diabolum. Non in gladio belloûe Aenea
dum urbem Regesquæ subiiciet, sed in
homo piscantis, in deiectione & pauperie
superabit diuitias, superbiamquæ concul-
cabit, morte propria mortuos suscitabit,
& cum mactabitur, viuet, & regnabit &
consumabuntur hæc omnia, fietquæ rege-
neratio. Vltimo bonos iudicabit & ma-
los.

Ios. Multa deinceps exequitur, quantum datur intelligi, de Euangelistis, de Paulo Apostolo, ad postremum de quibusdam quoque Religionibus clavis, quæ in Ecclesia his diebus nouissimis sunt exortæ, mihi ad præsens quæ ad ipsius CHRISTI personam attinent, attigisse suffecerit. Quæ omnia eo ordine quo prædicta erant impleta conspiciamus, præter vltimum scilicet iudicium, quo eum de re certi, de tempore dubij expectamus: Et hæc quidem vaticinia quia non adeò vulgata videbantur, curiosius inserui. Quæ Erythreæ proculdubio Sibyllæ sunt, vt quæ ex illius libro ad contextum elicui, quæ sequuntur, vt Sibyllæ fuisse conuenit, sic cuius incertum est, cum Sibyllas multas Varro numeret, studiosissimus atque doctissimus Latinorû, quæ à Lactantio sparsim posita, Institutionum eius libro primo, Ab Augustino autem recollecta, in Ciuitatis Dei libris disponuntur hoc ordine: In manus, inquit, Infidelium postea veniet, dabunt autem Deo alapas manibus incestis, & impurato ore expuent venenatos sputos, dabit verò ad verbera simplex Saactumque dorsum, & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat, quod verbum vel vnde venit, vt Inferis locatur, &

corona spinea coronetur: ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt, inhospitalitatis hunc monstrabunt mensam, ipsam enim incipiens, tuum Deum non intellexisti, ludentes mortaliū mentibus, sed spinis coronasti & horridum miscuisti. Templi verò velum scindetur, & medio die nox erit, tenebrosa tribus horis nlmis, & morte morietur tribus diebus somno suscepto, & tunc ab Inferis egressus, ad lucem veniet, primus resurrectionis principio reuocatus ostenso. Hæc vaticinia Sibyllina, cuiusvis Sibyllæ sint, antiqua esse compertum est, siue fuerint Erythreæ, longè antiquissima esse quis dubitet? Quippe cum eam, qui serius locant, Romulo regnante circa urbis conditæ ætatem, alij autem multo antè Troiam belli vaticinatam fuisse temporibus, tradant. Qua ætate ipsam Cumeam Sibyllam floruisse nulla videtur esse dubitatio. Hæc si quis acriter animum intendat, non minus Evangelica, quàm Prophetica, hoc est nō vaticinia magis, quàm historiae videantur, quod eorum evidentissima claritas facit, vt quasi de præterito dici putes, qui mos quoque Propheticus. Quod vt de pluribus probem, satis à Gregorio probatum: vnum verbum Sibylli-

R. VM

num Davidico consonum annotabo. Vbi enim ille ait: Et dederunt in escam meam fel & in siti &c. Ita quid audiuiſtis, nempe tam simile, vt vno ore locuti videantur, qui haud dubie vno spiritu loquebantur. Et hæc quidẽ ac mille alia de CHRISTO, ante carnalem eius originem dicta erant, & circa ipsum tempus originis repetita sunt, quibus verò & eterno Dei Filio temporalis fides hominum quæreretur, quod non modò per Prophetas & Electos suos, Sed per alienigenas siue Sanctos, qualis est Iob, siue etiam Infideles actum est, quid dicerent ignorantes. Huc etenim & ista trahi possunt quæ Virgilius in Bucolicis de alio loquens ait:

*Iam redit & virgo redeunt Saturnia re-
gna.*

Iam noua progenies cælo dimittitur alto.
Et in Aeneidæ de Augusti imperio agens, sub quo CHRISTVM natum supra diximus ait:

*Huius in aduentu iam nunc & Caspia re-
gna,*

*Responsis horrent diuum, & Mæotida tel-
lus.*

*Et septem gemini turbant trepida ostia
Nili.*

Quæ quidem religiosus & pius lector,
D. iij.

54 FR. PETRARCH. DE
quamuis de Cæsare dicta, ad cœlestem
potius trahet Imperatorem, cuius aduen-
tum toto orbe signa præcesserant. Quæ
audiens Poëta, neque alius aspirans, ad
Imperatoris Romani, quo nil maius no-
uerat, reflexit aduentum, cuius si vera
lux oculis affulsisset, haud dubiè ad ali-
um reflexisset. Nobis verò iam, gratias
illi qui vsque adeò immeritos nos dilexit,
hec omnia sine vllis externis testibus cla-
ra sunt, & ita se oculis Fidelium diuinæ
Lucis radij infundunt, vt nemo cæcus sit,
qui non iustitię Solem CHRISTVM men-
te prospiciat, & quamuis ab ipsa veritate
verissimè dictū sit: Beati oculi, qui vident
quæ vos videtis: Ego tamen hanc ipsam
in terra luminis claritatem, qua post
CHRISTI reditum ad cœlos, & nunc vs-
que ad finem seculi deuotæ animæ, non
carneis oculis, sed spiritus acie CHRI-
STVM vident, illi corporeæ visioni, Qua-
dam ex parte non imparẽ demonstra-
bo: Valde quidem fateor, nam quis neget,
fœlices oculos, quibus in carne CHRI-
STVS apparuit: quàm prædulce enim
spectaculum videre nostra carne nostra-
quæ animi vestitum Deum, audire verba,
incessam aspiciere, notare actus, inter ho-
mines conuersantis, quem stupent Ange-

li, quem adorant, cuius pascuntur intuitu, cuius imperio gloriatur, grande profusu & mirificum spectaculum posse dicere: Ecce hic homo est quem audio, quem tango, quem video, homo, inquam, mortalis verus inquam homo, & cui præter peccatum ortusque munditiam, de nostra humanitate nihil desit. Et rursus: Ecce hic idem Deus nunc terras inhabitans, & terrenas patiens æumnas, paupertatem, famem, frigus, æstum, dolores animi & corporis, tandem passurus & crucem, sed in illa mortem moriendo victurus. Ecce carneis pedib. terram premit, qui cœlum creavit ac terram. Et homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus. Videre ad supplicium duci, qui Solem Lunamque & Stellas, suis in terra viis ageret, spectare in patibulo pendentem & languidum vix ferentem caput, qui tamen maxime cœlum ac terras & Maria, suo regeret ac sustentaret imperio, usque adeo, ut terras tremor quateret, & cœlum tenebrosus pallor inuolueret, ad nutum sui Creatoris, orbe turbato, eaque omnia pro nostra salute credere, magna hæc & deuotis inuidiosa animis. Sed est aliquid, quod nobis licet extremis mortalium contigisse feliciter videatur: quis igitur non miret

sur, se familiaritate cōtemni, aut quis iniquo ferat animo, idem sibi accidere quod CHRISTO. Ille equidem à multis, stupendum dictū, familiaritate sacratissima contemptus fuit, quia inter eos natus atque versatus erat, quos saluare poterat & volebat, ab eisdem Fabri Filius, & comestor carnum, & Demonium habens, Blasphemus & Seductor dici meruit: Quod aduertens ipse ait: Nemo Propheta sine honore nisi in Patria sua. Verum hæc ab Infidelibus est passus, dicat aliquis fatebor, sed & Fidelium fidem titubasse, & ipsa etiam Apostolorum corda Saluatoris morte turbata comperimus, & Thomæ duritiam profuturam, posteris legimus. Quæ si adhuc vivo vel rediuivo iam CHRISTO Fidelibus contingere potuerunt: quis miretur CRISTO ad cœlum vnde venerat iam ingresso: Et ab oculis hominū amoto, illatas tam multas blasphemias: quibus à nostris, præcipuè ab Augustino studiosè grauiterquè responsum est, ita, vt acuti vir ingenij Porphyrius præstringente oculos, pura veritatis luce conuictus sit. Quod de eo dicas, quod non hominis, sed Dei cuiuspiam, vt aiunt: Verè autem Dæmonis ore confictum ferunt, cum videret enim CHRISTI nomen
dolo;

dolorem atque tormentum suum, in orbe terrarum ante spectatum cæleri, & veram fidem Martyrum suppliciis assiduæ roborari, non ausus quæ in oculis omnium erant præsentia negare, de futuro vaticinari, miris cœpit ambagibus. Sed neque tunc equidem in CHRISTVM loqui ausus, Petrum Apostolum maleficiis atque artibus magicis Christianæ fidei fundamentum statuisse ait: Non tamen nisi trecentis, & sexaginta duraturum annis, atque illis exactis è vestigio ruituram. Quo mendacio quid sibi voluerit, non video nisi vel mentiendi morem non deserre, vel in quod magis inclinor, miseris animas in aubium adducere, & ab exortu lucis radiis aduersas in præteritarum tenebrarum reuocare caliginem. Ita vero nugator & falsus ille spiritus, & quicumque esset, CHRISTVM non amore spontaneo, sed coacta reuerentia excusans, Petrum virum innocentissimum ac simplicem piscatorem magis reum facit: Et infert, quod nullo coarguente falsum pateat, dictis cum magicis artibus laboribus ac periculis multis, atque ad vltimum ignominiosa & truci etiam morte sua quæsiuisse famam, altercatoque studio effecisse, quod iam supra diximus,

non ut ipse, sed ut CHRISTVS & non nisi breui tempore haberetur Deus. Vbi efficacissima videtur Augustini percunctatio. Si enim inquit, Petrus maleficus fecit, ut CHRISTVM sic diligeret Mundus, quid fecit innocens CHRISTVS ut eum sic diligeret Petrus, nec minus efficax annexa responsio est. Respondeant, inquit, igitur sibi, & si possunt intelligant, in illa superna gratia factum esse, ut propter æternam vitam CHRISTVM diligeret Mundus, qua gratia factum est, & propter æternam vitam, ab illo accipiendam, & vsque ad tempora nostra, mortem pro illo patiendam CHRISTVM diligeret Petrus. Me verò non tam reliqua tacitum sequi iuuat, quàm super iis ipsis exclamare: Ô rationalis anima, Ô diuina vis ingenij, cui neque Lux ad detegendas hostium fraudes, neque robur ad firmandas amicorum mentes desit, cuius interrogatio & responsio talis est, qualis & fidei pugilem, & veritatis athletam decet. Itaque satis reor illum signiferum Ciuitatis Dei, in cuius libris hæc ait, sæpè consiliis suis exercitum hostium terruisse, eorumque cogitatus Impios, à mœnibus repulisse, Ecclesiæ pace vel reddita vel seruata. Quod tum sæpè alibi, tamen in hoc præcipue

cipuè in hoc hostili Calumnia notum fecit, ubi Dæmoniacum commentum, quo interminabilis CHRISTI Fides, ad tam exigui temporis metam redigi videbatur, infregit, supputatione temporum falsum docens quod ille prædixerat, & sua ætate, qua librum seu maximè locum illum scriberet, præteriisse, iam præfixum Christianæ durationi terminum. Et si ritè recolo, octo præterea & triginta annorum spatiū effluxisse, eoquè potissimum tempore, quo casurum penitus CHRISTI nomen credebatur, idè propter ipsum CHRISTI nomē apud caput Africæ Carthaginiem fuisse subuersam, atque ita dum maximè ruina speraretur, tum & solidatum fidei fundamentum, & culmen Ecclesiæ spoliis hostilibus exornatum. Et iste quidem piè, argutè, fideliter more sed suo, sacrilegium deprehendit, mendaciumquè detexit. Cæterum forsan nimis exiliter probatum videri poterit, animis ad credendum tardioribus, suggerente, nunc etiā Dæmone, non idè falsum omnino vaticinium videri, quod parumper erratum esset in tempore, hoc est igitur, quod dicebam, in quo fœlicius nobiscum agitur. De quo mihi videor asserturus
CHRISTVM in carne, non vidimus eo modo

modo quo Apostolis est visus, quamuis
 eum in operibus mirabilium suorum, si
 non oculos claudimus, assidue videamus,
 sed videamus utique indicantem, atque
 firmatam fidem, quam illi sæpè tremu-
 lam viderunt. Vidimus longè lateq; vul-
 gatum CHRISTI cultum, & quanquam
 segnitie socordiaque nostra, CHRISTO
 nihil, nobis multa decreuerint, multo ta-
 men adhuc latius, quàm tunc resonat
 CHRISTI laus. Miramur Imperia Reges-
 que persecutores olim Christianæ Reli-
 gionis, nunc in CHRISTI nomine & in
 crucis obprobrio gloriantes, rusticos
 cernimus iam de fide certiores, quàm
 tunc esset Apostolus Thomas: Nec locum
 clavorum, nec vulnera requirentes. Mul-
 tos scimus pro CHRISTO intrepidè mor-
 tuos, & paratos mori, & non solum vnus
 solum hostiaræ vocibus, sed omnium
 Tyrannorum minis atque tormentis im-
 mobili patientia, victam impiorum ra-
 biem, Carnificum duritiem fatigatã, in-
 iectum pudorem ludicibus, & repente de
 tortoribus Martyres euasisse. Non quod
 nos peccatores, Apostolis, ut Apostolicis
 viris, aut omnino ætatem nostrã illi con-
 feram, sed quod (nisi fallor) ad nos quo-
 que, diuinæ munus gratiæ peruenisse vi-

deo, eodem ipso largiente, qui dat omni-
 bus affluenter nec impropert, quique
 operarios horæ vndecimæ non prioribus
 tantum æquat, sed in exhibitione diem
 mercedis, ab eis incipiens, de nouissimis,
 primos facit. Quamuis enim Dei Filius,
 vt iudex puniat, miseretur vt pater: Plus
 multò paternæ clementiæ retinens, quàm
 iudiciarij rigoris. Quod si non ita esset,
 iam dudum nihil reliqui superesset, in
 quo puniremur, tantò enim est maior vis
 quàm ægrotantis, & faucia humanæ na-
 turæ vigor, nisi eam qui condidit adiuua-
 ret, cuius vel gratiæ magnitudinem, vel
 consilij altitudinē super filios hominum,
 quis ne dicam humanis verbis explicet,
 sed humana mente concipiat? Neimpè ad
 diuinum munus metiendum, diuino au-
 xilio est opus, & Dei gratiam agnoscere,
 gratia Dei est, non est hominis perse-
 ipsum cœleste Mysterium scrutari, tamen
 & cæci & claudi, licet intenebras fessi, re-
 cta semitam palpitanes quærent. Loquar
 pauca, de iis quorum scientiam quæro
 magis quàm profiteor, en fragilitas no-
 stra ante oculos nostros semper, nihil
 agimus quod non humanæ nos conditio-
 nis admoneat atque miseræ, de qua ta-
 men integros ediderunt libros, tractatus
 alij

alij eximios, de qua Plinius Secundus, VII. Naturalis Historiæ breuiter attigit, sed stilo excellenti ac florida vbertate sententiarum, de qua & Augustinus latius agit in libro de Ciuitate Dei, vnde Cicero ante omnes librum suæ consolationis impleuerat. De qua mihi quoq; nonnunquam fuit impetus loqui aliquid, & vagantem calamum in hos fines immittere, nisi quia & nimis magna, & nimis nota res visa est, quod etiam multa se offerrent, vt vnde ordire, aut quid potissimum dicerem incertus, nunquam satis explicare posse tantam arbitrarer, & superuacuum videretur, quicquid ea de re dictum esset, & de qua non dici nihil posset ab homine. Hoc vnum itaque commemorasse satis esse, nil miserius homine, nil debilius, nil pauperius, & aduentitiæ opis egentius, quamuis indigentiam, imbecillitatem, & miseriam hanc, vnde sumus, & quid sumus, & ne futuri sumus quibusue transmittimur. Vnde, quo pergitur, nisi nos fallimus, & sine libris, & sine cuiusquam admonitione scimus experti, neque dum non meminimus, horum possumus obliuisci. Contrà verò diuinæ naturæ omnipotentissimam Maiestatem, non tam scimus quàm opinamur

inui-

inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspicientes attoniti, & veluti luce Solis luce mortales vincente oculos: Hoc vnū scimus, non quod nihil scimus, vt parum intellectui suo fidens, sit Socrates, sed hoc certè, rem esse ineffabilem & incomprehensibilem, ac nostris ingeniis inaccessibleam, horror stuporquæ ferat animum nostrum, simul humilitatem & illius altitudinem contemplantis, illud quod ne contemplari quidem, ad plenum possumus, ex quo factum est, quis antequàm fieret cogitasset, quo scilicet quam potenti, & quam misericordi remedio huic tantæ miserix sit consultum, lippi & inualidi, adhuc tantæ lucis aciem ferre non possumus, & in ipsum lumen, quod amamus figere oculos non audemus, tali tamen fœlices impotentix, quibus plus gratiæ collatum est, non dico quam mereamur, aut mereri valeamus, quorum omne meritum in primo parente, quasi vigor arboris in radice aruit, non dico, quam pro quo dignas grates saltem verbo persoluere, sed plus intelligere vel tenuiter suspicari. Gaude igitur humana natura de extremis miseris, facta fœlicior, quam toto capere possis ingenio, intendite quæso, huc ingenia literata, audite Plato, Aristote-

stoteles, Pythagoras, non hic ridiculus ille circuitus animatum, & vana *μετεμύχως*. Sed maius quoddam veræ salutis arcanum latet, audi Varro studiosissime hominum, abditarumque rerum queſitor ardentissime. Non hic tuorum turba & fallaciæ Deorum, sed vnius Dei veritas pietasque describitur. Adeste Cicero atque Demosthenes, non forensis sed cœlestis causa agitur, quid hic ingenium, quid facundia, vera possit experiemini: & vos Homere, ac Virgili adestote animis. Non hic Græci Reges, aut Romani Imperatores & Duces, neque falsus iste superi regnator olympi, Iuppiter, sed regnator cœli verus dicitur CHRISTVS: cogitate inter cœlū & terras quanta distantia est. Et vbi diu frustra, iam tandem vtiliter laborare animis vt terra salua sit, necessario illam iungi quibus id artibus fiet. Hic vestrum acumen, hic vestram intelligentiam requiro, nunquam reor talia cogitastis, cogitate modò, & intendite, excitate animos, ingenia subleuate. Puto autem cum valdè surrexerint, mox ad destinatam peruenire nequeuntia, & labore indaginis fessa subsident. Multa de nubibus, de imbribus, de fluminibus, de ventis, de glacie, de niue, de tempestate, de

grat;

grandine, multa de animalium naturis, de potentiis herbarum, de qualitatibus rerum, multa denique de tumore Pelagi, de tremore terrarum, de motu cœli ac Stellarum, disputata acriter ac tractata subtiliter reliquistis: At quibus modis cœlum terræ iungeretur atque vniretur, vnum hic ex omnibus non vidistis: magnum & forsan & prorsus impossibile, contraque naturæ leges videatur, tam magna tamque distantia iungere, aut quā maius quiddam multò distantius est, quid moueri oportet, & inclinari vt terra soluetur. Inter cœlum nempe & terram distantia, ingens fateor, sed finita est: inter Deum & Hominem infinita. Homo quidem terra est, vnde nomen accepit, de terra ortus, in terra viuens, in terram reuersurus. Deus autem non cœlum, sed cœli conditor, tantum cœlo quantum terra altior, vtrobique tantundem præsens, & tantundem distans, & si enim cœlum terra nobilius non negetur, idem tamen vtriusque Creator ac Rector Deus, qui fecit cœlum & terram, Maria & omnia quæ in eis sunt, & localis spatij non capax, ex æquo omnem suam regit, ac supereminet Creaturam. Quid igitur fiet,

E. j

vos interrogo, doctissimi homines, qui
 multa curiosius quoque, quàm oportuit
 libris ac memoriæ mandantes, vnum,
 quod & maximum erat, & summæ salu-
 xiferum, atque apprimè necessarium si-
 quistis. In quibusdam sanè codicibus ve-
 stris prædicari Deum, & eius verbum, &
 multa quæ circa summum Fidei verticem
 & coeternam Patris Filij personam Euan-
 gelicis apicibus conueniant, Augustino
 testante, notum est, quod scilicet, In prin-
 cipio erat Verbum, & Verbum erat apud
 Deum, & Deus erat Verbum: Quodque
 omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso
 factum est nihil: quod autem qualiter
 Verbum illud Caro factum sit, qualiter
 terræ notum habitauit in nobis, hoc do-
 ctus Plato nesciuit, vt ait Hieronymus,
 hoc Demosthenes eloquens ignorauit:
 quorum primus dixisse fertur, nullus De-
 us miscetur Hominibus. Atqui vel fal-
 sum hoc populo dixisti, vel falso tibi
 sententiæ huius inuidia data est. Quan-
 tò melius hæc in parte Seneca. Ait enim,
 Deus ad Homines venit, nulla sine Deo
 mens bona est, certè Deus noster ad nos
 venit, vt ad eum nos iremus, idemq; De-
 us noster Hominibus mixtus est, quando
 habitus

67 FR. PETRARCH. DE

habitu inuentus vt Homo, habitauit in nobis. Profectò enim, quod non tantum Plato negans, sed & Seneca confitens ignorabat, quodque prorsus ignotum erat Homini, nisi cui forte Diuinitas reuelasset, immota lege, diuina consilij ab æterno tollenda erat Humanitas, inclinanda Diuinitas, vtrunque pariter factum, & salubris celebrata coniunctio est, sine qua ægra semper & languens Humanitas iacuisset. Neutrum absque altero potuit fieri, aut per alium fieri, quam per eum, qui inclinat cœlos suos & descendit, qui respicit terram & facit eam tremere: per illum itaq; nec per alium factum est. ò inenarrabile Sacramentum. Nam quo altius Humanitas attolli poterat, quam vt homo ex anima rationali & humana carne subsistens, homo mortalis casibus, pro talibus necessitatibus nostris obnoxij, vt paucis absoluam, verus ac perfectus Homo, & à Verbo filio Dei, Patrique consubstantiali & coëterno in Deum atque vnitatem personæ ineffabiliter assumptus, duas in se naturas, mira rerum prorsus imparium aggregatione coniungeret. Quo inquam, homo poterat altius ascendere,

L. ij.

68 FR. PETRARCH DE

quàm vt homo Deus erat, ex diuersò, quò non magis deprimi inclinarique Diuinitas poterat, quàm vt persecutiones, iniurias, terrores, & mala nostra præter peccatum, omnia passurum, mortale corpusque indueret, cum quousque ad vltimas contumelias, ad verbera, ad passionem ac mortem, mortem aut crucis, pro salute assumpta hominis humiliata descenderet: quæque tam magna, tamque supra intellectum erant, vt ea capere ingenia dura & superbia non possent. Quippe qui non ingenio sed & fide capiuntur, fecerunt sibi hæreses innumeras. Et in primis duas, quarum altera CHRISTVM Deum tantum & non Hominem, altera Hominem & non Deum decepti contendunt. Cæterum vtriusque duricies vt reliquarum omnium, veræ fidei, malleis concussa, fidelibus cautionem, suis actoribus interitum sempiternum peperit, iamque aded prouulgata est veritas, vt aliquando fortè virus mortiferi dogmatis, latere aut fallere catholicum gustum nequeat, omnia passim in oculis, atque manibus sunt, frustra iam pijs foribus obseruatur circulator hæreticus, frustra inuisibilis hostis accingitur, patescunt

OCIO RELIG. LIB. I. 69

tescunt æoli omnes, artesque omnes
 translucent, Pastor hunc horridus, hunc
 feriat miles, durus fossor, insomnis mer-
 cator, nauta vagus, denique hunc fidelis
 spernet anicula. Et si enim explicite fidei
 articulos defensionemque non nouerit,
 assuetæ tamen aures piæ veris dogmati-
 bus, & opplere diuinorum atque cœle-
 stium fragore tonitruorum, contra o-
 mne sacrilegium, & simplicitate confes-
 sionis & fidei firmitate vallantur, sed
 deinde victus, temporis malitia ambi-
 guoque successu dicet: Esto sit Deus
 CHRISTVS, quis illi obediet, quis im-
 plebit imperata tam dura? Si saluari ho-
 mines vellet, aut plus virium daret, aut
 leuiora præciperet. Rursum: Et quis con-
 silium Dei nouit, cum sæpè homines la-
 teant humana consilia? Quis scit an id-
 circò præcipiat vt excitet, idèò minetur
 vt terreat, vt impleti memor in iudicio
 sit, præcepti futurus immemor neglecti.
 Contra hanc impiam atque falsiloquana
 suggestionem, Fratres mei clamemus sin-
 guli, clamemus omnes ad Dominum, &
 exaudiet nos, & introibit in aures eius
 iustus clamor. Dicat quisque maximo
 animæ nisu potest, & vocem lachrymis,

E. iij.

*

si datur, aspergat frangatque suspirijs,
 nulla melodia Deo suavior est, vult isto
 amari, vult de se sperari, vult cum gemitibus
 orari. Dicat autem quisque: Domine libera animam meam à labijs iniquis,
 & à lingua dolosa, Spiritus quidem car-
 nem & ossa non habet, linguam vocem-
 que non habet, quibus igitur instrumen-
 tis loquitur? ò utinã deforent & instru-
 menta periculisque nostris illius exar-
 matione succursum esset, quod fortasse
 idè non fit, vt aduersus hunc hostem,
 nostra militia quò laboriosior, eò clarior
 fit acceptiorque Duci nostro. Loquitur
 ille multa intus in anima, quæ quisque
 vestrum tacitus, non sine graui exercitio
 suo fert. Valdè autem prouidendi cauendique
 sunt hostes, quo intra muros vt
 ita dixerim, ita familiaribus insidijs in-
 que intimis animæ penetralibus ex-
 peritura habet, tum interdum & linguas
 & vocem, & quas ore, dicat aliquis? nem-
 pe linguas impiorum hominum, vocem
 vulgi siquidem è tot linguis, vna totius
 populi vox est, laudat voluptatem, vir-
 tutem despicit, CHRISTI viam, vel am-
 biguam, vel inaccessibilem saltem dicit.
 Raroq; veritas testes habet, inter hæc vi-
 uentes,

uimus, & hanc temporum particulam cum lecti sumus, hijs moribus non utendum dico, sed resistendum, quod nobis miseris, quibus adhuc intus seculi fluctus anceps, nauigatio agitur, laboriosum longeque difficile dixerim: Nam & aestu rapimur rerum temporalium, nec plus ocij obtigit, quam quod nobis peccatorum & occupationum nostrarum intermissione permittitur. Vobis verò iam portus tuta tenentibus, circumspectio prouisioque facilius multo est, absceditis equidem Mundi nodos, negotiorum laqueos, vincula rerum, nudi & liberi multis è tempestatibus enatastis, ubi quiescere liceat & vacare. Itaque ad illud eximium salutis studium, cui vni neglectis, omnibus alijs intenditis, necessario otio abundantes, hoc tamen magno, licet paucis cognito Dei dono utimini parcè, sobriè, sollicitè, ne qua vobis ex ocio, ut fit tumultuosior occupatio renascatur. Ocio etenim est opus, non resolutum, inertum atque eneruante animos, sed strenuum, & quod maxime vestrum est, religioso & pio. Hoc ergo Fratres agite, hoc ad salutem tramite pergitte, nullus reuoluit, nullus tutior, atque

L. iij.

2 FR. PETRARCH. DE

Idem totiens hoc à vobis hodie postulo,
vt Vacetis. Vbi enim Hieronymiana trans-
latio habet, Vacate, vetustior habebat,
Ocium agite, cui inhærens Augustinus
ait: Vnum certè quærimus quo nihil
est simplicius, ergo simplicitate cordis
quæramus illum, agite, inquit, & agno-
scetis quia ego sum Dominus, non ocium
desidiæ, sed ocium cogitationis, vt à lo-
cis ac temporibus vacet. & profundum
& salubre consilium Frarres, quod vt ad-
liquidum intelligeretur, adiecit. Hæc
fantasmata tumoris & volubilitatis, con-
stantem vnitatem videre non sinunt, lo-
ca offerunt quod amemus, tempora sur-
ripiunt quod amamus, & relinquunt in
animo turbas fantasmatum, quibus in-
aliud atque aliud cupiditas incitatur, ita
fit inquietus & criminofus animus. Et
frustrà tenere in quibus tenetur exop-
tans, vocatur ergo ad ocium, id est, vt ista
non diligat, quæ diligi sine labore non
possunt. Hæc iste vir & pietate magnus
& literis: ego autem Fratres ad hoc ocium
voco, hoc postulo, hoc hortor, hoc obse-
cro, agite ocium & Vacate: ambo enim
paria, immò equidem vnum sunt, sicut &
quæ sequuntur agnoscetis, quia ego sum
Domi-

Dominus, & videbitis quia ego sum Deus. Duleis via, fœlix terminus: Vacate & videte, ocium agere & agnoscere. Et non modò per breuissimum laborem ad longæuam requiem, quòd ipsum peroptabile erat, sed quòd immensum gratiæ est, & temporale gaudium ad æterna conscendere, in hoc culmen scandite, vnde ascendendi altius est viæ, & in huius ocij arte consistite, hinc nullo strepitu auribus, nullo puluere rerum transeuntium obstante oculis, omnes hostis dolos tendiculasque prospicite. Quamuis vt dixi enim illi gratias, qui nos omnem veritatem docuit, iam eousque profectum, vel suapte natura, vel consuetudine in naturam versa, vnde institutæ mentes atque aures vltro respuere didicerint, quicquid aptè dissonum verò est, illud tamen occultius diabolicum murmur, ex ore impij cauendum, qui apparenter melior, sed deterior existens, CHRISTVM laudando impedire cogitet, vestrum iter, quò ad CHRISTVM peruenitur, iste quidem ager hoc modo, sanctum fateor quicquid CHRISTVS iubet, sed implere præcepta Dei supra hominem est. Itaque si in rerum humanarum executione laboramus
vsque

vsque aded vt sæpè nos cepto impares
 agnoscamus, atque ided meliore consilio
 desistamus, quid de diuinis est speran-
 dum, linquamus ergo illa Angelis, quo-
 rum excellentissimi etiam sub pondere
 corruerunt. Cœlestia sanè cœlicolæ, nos
 humanum tractemus, & fortasse consul-
 tius fuerit, non ingredi iter hoc arduum
 præruptumque, quàm medio calle desi-
 stere, & hac saltem vita, dum adest frui,
 quàm spem incerti certum proderè. Ve-
 nient alter eo periculosior quo proximior
 vera qui & rectas CHRISTI semitas,
 & sancta iussa fatebitur, & has peruias &
 hæc possibilia non negabit, sed difficul-
 tatem rerum nostrarumque molliciem,
 multoque maximè nostræ ætatis decus,
 desperatis ac perditis moribus, nihil à
 quoquam satis, ne dicam nimium, dici
 potest verbis exaggerans, feruenti pro-
 posito, quoddam diffidetiæ frigus asper-
 serit, aut fortè facilia prædicans, disse-
 renda concludet, posse enim cum libue-
 rit impleri: dandam quoque partem
 temporis huic vitæ, cuius muneribus
 haud dubiè sit aptior virens ætas, cætera
 senibus committenda, quod maturiori-
 bus opportunū consilijs sit, attamen ma-
 ximè

ximè de altera vita cogitandum, dum
 huius finis in proximo est, eo præsertim,
 quod in omnibus rebus sit ordo pulcher-
 rimus, & cum semel abscesseris, turpis ad
 ista sit reditus, non minus Deo placuisse
 qui pœnitentiam egerunt, quàm qui sic
 vixerunt, ut eo remedio non egerent,
 Horum ac similium suasores non dee-
 runt, vel sermones hominum vel taciti
 cogitatus. Quod sibi contingere posse,
 quis non miretur, cum contigerit Au-
 gustino, quod ex Confessionibus suis
 constat, & iam contigisset Antonio tam
 duri propositi, & tam solide virtutis ac fi-
 dei viro, quod Anastasij testimonio no-
 tum est, vnde dicit: Vos autem Fratres
 eodem quo Antonius orationis clypeo,
 hæc hostis tela repellite: siquidem Dia-
 boli telum est, quicquid loquitur impio-
 rum os. Multa igitur tela iaculantur,
 multas etenim linguas habet, seu toti-
 dem armenta, quibus hostilia venenata
 contorqueat, nec linguas modò, & ocu-
 los & aures & manus habet, & brachia &
 pedes, denique sicut iusti anima sedes
 CHRISTI, sic impij anima sedes est Dia-
 boli, & sicut animæ, sic & in anima præ-
 sidenti totum corpus obtemperat. Inde

igitur suadente illo talia, quid detur, aut quid opponatur vobis ad linguam dolosam, si hoc quaeritis, respondetur vobis per Prophetas: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs. Ô ingentis mali remedium opportunum atque efficax, quo genere sermonis alibi vtitur Propheta idem: Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum. Vnde non immeritò hic quaeri solet, quis hic potens, quæ sint hæ sagittæ, qui sint hi carbones, & certè nemo potens, nisi cum dictum est: Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Et ab alio quodam: Multum valere tibi soli superat semper, & virtuti brachij tui quis resistet? Quoniam tanquàm momentum stateræ, sic ante te est orbis terrarum, & tanquàm gutta roris antelucani, quæ descendit in terram, sed misereris omnium, quoniam omnia potes. Hic est Fratres solus verus potens, nam quis quaeso alius potens? aut quantula nostra potentia est? seu vera nostra fragilitas, in hoc præangusto terræ habitabili angulo, siue vt propriè dicam puncto, qui sit terra, ad vniuersum puncti rationem obtinet, puncti punctus esse deprehenditur, in quo quod omnino

nino digni mortales, genus laboriosum,
 anxium, sollicitum, tanto mori motu,
 totque paludibus obruto, tot desertis in-
 hospito & inculto omnibus montibusque
 distincto, tot regnis ac imperijs scisso, tot
 bellis ac discordijs inquieto, quo tam iu-
 gibus curis, tam longo labore breuique
 tempore possidendo, non secus ac per-
 petuò superbimus, cuius fugitiua fœli-
 citas, quamuis in sancto fulgore præstrin-
 gente oculos, aliquid esse videatur, quid
 tamen verè sit multis experimentis, sed
 nullo clarius quàm morte cognoscitur.
 Sagittas verò, quas alias opinemur, nisi
 Apostolos & Nuncios, quos potens iste,
 de quo loquimur in medio suorum ho-
 stium iaculatus est, seu verba vitæ & te-
 stimonia Euangelij latè sparsa, siue per
 illos, siue per ipsum regnum ac populo-
 rum infixæ pectoribus. Non doloribus
 asperi, sed præ dulcis amoris cauterio
 vulnere. De quibus ipse non semel, sed
 iterum & iterum gloriabundus & exul-
 tans dicit: In nomine Domini, quia vul-
 tus sum in eos. Verè igitur potens, & pau-
 cis sagittis orbem domuit, sequè de tot
 aduersarijs vlciscens, toti animas duci
 hostium eripuit. Verè acuta sagittæ,
 quæ

quæ facili iactu durissimis adhæsere præ-
 cordijs. Carbones verò desolatorios seu
 vastatores: Vtrunque enim in antiquis
 codicibus lectum est, quid aliud putem,
 nisi ardentes & ignitas animas eorum,
 qui vos in hoc sancto proposito præces-
 serunt. Sæpè cui verba non proderant,
 exempla profuere, puduitquæ non sequi,
 cui non credere non pudebat: tanto ve-
 hementior aculeus est actuum, quam
 verborum. Aduersus igitur linguam do-
 losam, ne ancipiti cuspide tenerum cor
 transfigat, duo hæc strata remedia sunt.
 Sagittæ potentis acutæ, si iste forte non
 sufficiat, carbones desolatorij. Dicam
 aliquid ne res careat Exemplo. In primis
 meditare tu quisquis in hoc statu es,
 quàm dolosa lingua circumstrepit, quàm
 potens est, quid tibi hunc animum de-
 dit, quam facile illi sit quod inspiravit
 fouere, perficere quod incepit, audis il-
 lam veris falsa miscentem, ne si falsa sint
 omnia, pariter respuantur. Dicet, Caue ne
 quam timeas, ne cui te submittas, nil li-
 bertate melius, liber esto. Quid vano ter-
 rore, quid humili seruitute deijceris. Re-
 spondebis, primum ore Mosaico. Deinde
 per se ipsam viua veritas, vt Dominum
Deum

Deum tuum adores, & illi soli seruias,
 Nec tantum modò viri, sed & mulier vi-
 dua Deum alloquens: Tibi seruiat, inquit,
 omnis creatura tua: Propheta autem
 Rex & Reges, & omnia seruite Domino,
 cui seruiendum esse, nunc in timore,
 nunc in lætitia, denunciat. Illi igitur &
 ego seruiam lætus ac metuens, cui sic
 seruiens liber ero, imò verò cui seruiens
 regnabo. Dicit iste, Seruitus aspera, iugum
 graue. Respondebis autem: Domi-
 nus meus tam verax quam tu mendax,
 contrarium clamat: iugum suum suaue
 & onus suum leue. Dicit iste: Tu pecca-
 tor fragilis & mortalis. Respondeto. At
 Dominus meus fortis, sanctus & immor-
 talis, si fatiger, illi hærebo, illius in gre-
 mio conquiescam, habet & fatigatio vo-
 luptatem suam, & gratiorem efficit quie-
 tem. Sunt qui fatigationem exercitio
 quærāt, si quid sanè me impuluerit in il-
 lum ibo, ille immobilis fixus, infatigabi-
 lis, & mei amans, non se auertet, nec cor-
 ruam. Si in illo cōfidam, non erubescam
 neque me irridebunt inimici mei. Ad
 diuina deinde consilia te conuertes, te-
 que ipsius CHRISTI verbis armabis, au-
 diens enim ab isto prænunciatus huius

vitæ molestias, & labores, & pericula, & scandala, & quicquid in hoc cursu temporum patiendum tibi est. Audies ab aduerso melioris vitæ præmia, atque solatia in finem promissa laborantibus. Hoc tibi datur & opponitur ad linguam dolosam, sine hoc quidem satis est, sed penetrabilior Aduersarij cuspis, vrgere non desinit, & peccatorum cumulos, & fragilitatem conditionis ingerere, vt iter durum, tempus asperum, ingens sarcina. Tu delicatus, mollis, infirmus, æger, adolescens, senex. Hi enim omnes sibi sunt, linguæ dolosæ, quid laboras, seu quo pergis, quid vel tam materiæ præoccupas. vel tam sero aggredieris, gaude potius dum licet, de futuro videt fortuna, quotiens istis vrgimini Fratres, neque ad defensionem verba, neque acutæ sufficiunt sagittæ, tamen Dæmonum carbones desolatorij in medium præferant. Egoné fœminis ac puellis infirmior, quæ sæpè non exiguum laborem vt ego, sed tam multa terribilia, & terribilium extremum, alacres pro CHRISTI nomine sunt perpeßæ, ego imbecillior Gregorio, delicatior Arsenio, voluptuosior superbiorquè sum Regibus, & filijs Regnum,

qui

qui totiens propter CHRISTVM regna
 & regnorum delicias, sæpè etiam Spiri-
 ritum contempserunt. Non hoc iter pri-
 mi non vltimi agitis, habetis & vos pro-
 positi vestri duces, habet enim vt Hiero-
 nymus, vnusquisque propositi sui prin-
 cipes. Romani duces imitentur Camilos,
 Fabricios, Regulos, Scipiones: Philoso-
 phi proponant sibi Pythagoram, Socra-
 tem, & Platonem, Aristotelem: Poëtæ
 æmulentur Homerum, Vergilium, Me-
 nandrum, Terentium: Historici, Thucy-
 didem, Salustium, Herodotum, Liuium:
 Oratores, Lisiæ, Gracchos, Demosthe-
 nem, Tullium. Et nunc ad nostra venia-
 mus, Episcopi & Presbyteri habeant in
 exemplum Apostolos & Apostolicos vi-
 ros, quorum honorem possidentes, habe-
 re nitantur & meritum. Nos autem ha-
 bemus propositi nostri principes, Pau-
 lum, Antonium, Iulianum, Hilarionem,
 Macharium, & vt ad Scripturarum veri-
 tatem redeamus, noster Princeps Helias,
 noster Heliseus, nostri duces filij Prophe-
 tarum. Equidem Fratres hi sunt nostri
 duces, qui Hieronymi duces erant, insu-
 per ipse Hieronymus & Augustinus &
 Gregorius, & omnino quisquis aliquan-
 dō

do haftenus proximi amore, solitariam atq; heremiticam agens vitam, Religioso Ocio claruisse noscitur, dux & comes hortatorq; & adiutor noster est, & exemplum sui, seu paxillum quendam offert, vobis fasce pressis aut fessis itinere. Quamobrem si quis est iunior Paulus primus heremita, Antoniusq; & Hilarion, ad memoriam reuocandi erunt. Quorum primus sextumdecimum, secundus vigesimum, tertius verò quindecimum ætatis annum agens, in solitudinem perrexit, Mundumq; deseruit. Si quis senior, idem ille antè oculos habendi, sed perseuerantia in primis æstimanda, & iungendus principio vitæ finis, è quibus Paulus ad tertiumdecimum atque centesimum, Hilarion ad octogesimum annum, in isto sancti ac Religiosi ocij seruore peruenit. Non est animus reliquos hic nominatim attingere, quorum nomina in secundam Solitaria vitæ partem congesisse videor. Inde ergo vel aliunde, quàm quisque laboribus suis aptissimum senserit, ducem legat, cuius vitæ atque exemplis insistens, post Regis nostri vestigia secum pergat: & si quis forte diffidit idem posse, &

CHRISTI

CHRISTI bellis indomitorum sanctis imitatio, difficilis videtur, an non succurrit & hos prius fuisse pueros quam senes? An præterea quod puellæ & infirmi & educati in purpura potuerunt, non poteritis? Quasi verò vel ij molles vel durati viri, illi quicquid in se potuerint, & non in illo potius, qui eos confortabat, in quo se posse omnia gloriabatur Apostolus. An verò senectus ab honesto retrahet, ad quod vel sola possit impellere, dum cogitare cœperit viator dici ultimum, breue iter ac deuexum hospitium propè esse, paratamquæ cum laborum fine mercedem. An Victorinum tenuit senectus, quo minus spretis omnibus, atque in primis illa tanta literarum gloria, quæ tam longa ætate floruerat, dimisso magistræij honore, propter CHRISTVM, quem aut antè non nouerat, aut forte contempserat, mori non timeret, paganus iuuenis, & paganus senex, sed decrepitus Christianus, fœlix qui totius viæ deuium, & longè lucis errorem facili compendio correxit ad vesperam, an verò conscientia pondus in desperationem auget, aut opprimet memorantem, quot beneficiorum Dei immemor David, quæ-

raque scelerum mole obrutus, non de-
 sperando misericordiam consecutus est?
 quantus persecutor CHRISTI Paulus,
 quantas persecutiones propter CHRIS-
 TUM pertulit? Quantus verè fidei op-
 pugnator Augustinus, quantus eiusdem
 fidei propugnator euaserit? Quod Ma-
 ria mulier in ciuitate peccatrix, in ciui-
 tatem, inquam, non Dei, quam peccato-
 res non inhabitant, sed Mundi, nonné de
 ciue Babylonica cœlestis Hierusalem ci-
 uis effecta est? Adeoque per misericor-
 diam reformata, vt deletis impudicitiae
 maculis, post genitricem CHRISTI so-
 lam primum, apud nos inter virgines ob-
 tinuisse videatur locum, argumentum
 euidens, quanquam irreparabilis sit ipsa
 virginitas, pœnitentia tamen & lachry-
 mis virginitatis gloriam reparari: & ve-
 rissimè dictum esse, cui plus dimittitur,
 plus amari. Humanus animus quasi ager,
 vbi herbæ inutilis neglecta soli vberta-
 te luxuriant, recipiendis alendisque se-
 minibus verborum Dei purgatur, op-
 portuno atque vtili reparatur incendio.
 Ne hæc tantum cauenda vobis opinemi-
 ni, innumerabilia sunt, aduersus quæ
 semper armatum & intentum esse ani-

mum

mum oportet. Ad summam enim, quicquid contrarium rationi vel auditis ab alio, vel in silentio cogitatis, lingua dolosa est, vitate dolos, insidias declinate, eoquē vigilantius, quo coloratiore rationis pallio tegitur sermo, vel cogitatio venit in animum cuiuspiam. Quod ipsum magnis sæpè viris accidit, non ut ab hoste, sed ut à Domino signum petant, ne nimium insidiæ patentis sint, si propterea metienda natura, parum sibi fidei esse, sed à Domino, quod ipsum diffidentia consilium, & odio dignum est, Nihil est enim aliud quàm Deum tentare, absit hoc à vobis Fratres. Non sumus ex his, quibus dictum est: Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, &c.

Optat Aduersarius noster, non ut discamus (cui ignorantia nostra gratissima, scire nostrum permolestum est) sed ut secum confundamur, qui audiuit à Domino: Vade retro Satanas. Scriptum est enim: non tentabis Dominum Deum tuum. Vult ut Domino nostro à quo, & per quē, & in quo sumus, sine pignore non credamus, immò equidem ut mille pignoribus acceptis, noua, superuacua, & nocitura

poscamus, quo illum scilicet vanis sus-
 spicionibus iritemus, obdurantes corda
 vestra, sicut in exacerbatione, secundum
 diem tentationis in deserto, ubi tentaue-
 runt eum Patres vestri, probauerunt &
 viderunt opera sua. hoc in vobis velut
 oblitis hostis suggerit, quod in patribus
 nostris acerrimè vindicatum esse memi-
 nimus. Hortatur vt præscientiam futuro-
 rum anxij quæramus, quæ nec possibilis
 est homini, nec necessaria profecto, nec
 utilis, & si possibilis foret, quæ non exe-
 quar, ne nimius sim, tum in eo præsertim
 libro, quem de Diuinatione composuit,
 eleganter à Cicerone tractata sunt, & post
 eum à Favorino, Philosopho, multæ fa-
 cundia atque doctrinæ. Sed iste vos au-
 gurum atque aruspicum, aut qualibet ar-
 te diuinantium, hoc seruentium seruos
 cupit, horum tamen omnium facillimus
 est contemptus, recolentibus scriptum
 esse, quod multa hominis afflictio: qui i-
 gnorat, præterita & futura nullo scire
 potest nuncio. Et eodem libro: Omnia in
 futurum seruantur incerta. Et eodem.
 Ignorat Homo, quid antè se fuerit, &
 quid post se futurum est, quis illi poterit
 indicare? quem secutus Statius:

Quid

*Quid crastina voluet etas, scire nephas ho-
minum ait.*

De quibus Actianum illud probo:

*Nihil, inquit auguribus credo, qui aures
verbis ducant alienas:*

Suas, ut auro locupletent domos.

Nec minus Pacuiana placet irrisio:

*Nam si que ventura sunt, inquit prouid-
dent, equiparentur Ioui.*

Non est hoc Fratres, fideles ac deuotæ
animæ, poscere seu etiã cogitare, sufficiat
nobis Apostolos atque Sanctos vidisse
quæ credimus, nos in illis vitis, contra
calumnias imperitorum, & contra terre-
næ argumenta sapientiæ ducebamur,
nos illorum instruxit aspectus, nos eru-
diuit auditus, nos confirmauit tactus:
gratias igitur agamus diuinæ dispensa-
tioni, sanctorum Patrum necessariæ tar-
ditati, dubitatum est ab illis, ne dubita-
retur à nobis: Hæc Leo Papa. Sufficiant
nobis quoque vulnera Martyrum, & in-
de perfluens sacor sanguis, vnde descri-
pta pijs in mentibus fides nostra est, cuius
nisi pignus idoneum accepissent, nun-
quam tam intrepidi & tam læti ad sup-
plicia & interitum festinarent. Noueri-
mus, inquit, quia non sine magno discrimi-

mine de Religionis veritate disputamus, quàm tantorum sanguine confirmatam esse videmus. Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, & veterem fidem, quasi nouellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permanetas, & post morientium sudores ociosa disputatione contendas. Veneremur in sanctorum Martyrum gloria fidem nostram, hæc Maximus. Hos autem qui miracula postulant, quorum ridiculis votis ac vocibus vsq; ad nauseam plexi sumus, nō tam præsentis aut futuri auidos quàm præteriti incredulos, & fidem quam negando non audent, optando & dubitando minus apertè quidem, sed minus impiè damnare, nos autem siue nostris temporibus miracula fuerint, agnoscamus summum & solum mirabilium Auctorem, siue non fuerint, & eò amplius eidem gratias agamus, qui ita fidem stabiliiuit, vt iam sine miraculis crederemus. Augustinus ait: Vnde ergo tanta fide CHRISTVS vsque quaque canitur in cœlum carne sublatus. Deinde Ciceronianis, vt sæpè solet verbis, ad præsidium nostræ sententiæ vsus.

vsus: Vt vnde inquit, temporibus erudit-
 tis, & omne quod fieri non potest respuē-
 tibus, sine vllis miraculis, nimium mira-
 biliter incredibilia credit Mundus, an
 fortè credibilia fuisse, & ideò credita ef-
 se dicturi sunt. Cur ergo ipsi non cre-
 dunt? ad postremum concludens validif-
 simè suo more: Breuis est, inquit, igitur
 nostra complexio, aut incredibilis rei,
 quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ
 tamen fiebant & videbantur fecerunt fi-
 dem, aut certè res ipsa credibilis, vt nul-
 lius quibus persuaderetur miraculis in-
 diget. Ita istorum nimiam redarguit in-
 fidelitatem. Quæ cum ita se habeant,
 prorsus à consortio Dæmonum abstinē-
 dum dico. Nota quidem mendacis homi-
 nis pœna est, vt ei veritas non credatur,
 quid igitur huic fiat, in quo veritas nulla
 est, vna securitas auerti, qui nil mendaci
 crediderit, mendacio non falletur,

Vacate ergo, nil est me-
 lius.

90 FR. PETRARCH. DE
FRANCISCI PE-
TRARCHÆ V. C. DE
OCIO RELIGIO-
forum,

LIBER II.




AM satis vt arbitror, quā-
tum inter has angustias
datum, aduersus maio-
ris nostri hostis insultus,
CHRISTO duce, certatum
est. Superest vt iisdem au-
spiciis, & contra reliquos configamus,
quorum primus Mundus hic erat, cuius
vt blanda frons & superficies decora, sic
dura vltima, & foeda intima, & nulla fi-
des aspectui est, nihil omnium quæ polli-
cetur implenti, & ab huius quoque falla-
ciis pompisq̄ue terrestribus vacandum
censeo, quæ cum sint innumerabiles, v-
nus omnium est finis, fugiendo decipere.
Fuiſtis in seculo Mundi que blanditias vel
experti omnes, vel vestrum aliqui, nostis
vt reor, quod nihil in his solidum aut sta-
bile, sed has lingua dolosa, verbis inani-
bus attollit, magnumque esse aliquid
contendit, quod vel oblitus circumuen-

surus

tura animas, vel memoriam ablatura, itaque vanitates, quibus adolescentia vel iuuentus olim renuntiauerit, sæpè senio occurrant & recurrant & incurfant, & blando murmure querulæ, vbi nos, inquit, dimittitis. his ardoribus atque iis animi motibus respondet illud, quo nihil est verius: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & afflictio spiritus. Hæc ille regno & ingenti fama sapientiæ clarus vir aiebat, quæ vobis Fratres, multa licet rerum imparitate conuenerat. Dicat ergo pro se quisque vestrum, ego quoque similia & cogitavi, neque enim Monachus sum, de seculo veni, Babylone versatus sum, non potes me Munde decipere, expertus noui te, Et præterea magni Ducis exemplum habeo. Non fui Rex vt Salomon, neque vt ipse supergressus sum operibus, omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem, sed fui vnus Hominum occupatorum, & vitæ agentium & de te sperantium, quod ergo credo iam tandem experientia, non tibi, nam & ego cum experrectus essem, cumque post Salomonem conuertissem me ad vniuersa quæ fecerant manus mex, & ad laborem in quo frustra sudaueram, vidi in omni-

bus vanitatem & afflictionem spiritus, & nihil permanere sub Sole. Vnanimis in CHRISTO Fratres mei, Mundo fallaciter blandienti, acutas huiusmodi sagittas obiicite: non hic multis est opus, præsentem statum vestrum scitis, & præteriti meministis, & nisi, quo nihil est ab ingenio nobilium viuacitate semotius, fucum aut phaleras, potiùs quàm medullam rerum extimatis, admonendi à me vel ab alio non estis, nulla palatia vestris cellis, nullas pompas vestræ humilitati, nulla imperia, nullam peccandi licentiam vestræ innocentia, nullos rerum temporalium, quamuis operosissimos apparatus, vestro ocio, nullas epulas vestro ieiunio, nullas denique purpuras vestro cilicio comparari. Sinite igitur gloriari alios in purpureis amictibus, in marmoreis palatiis & peritura potentia, in ventosis honoribus, in voluptatibus blandis, inque aliis, quibus Babylonici tument ciues, vobis si ad æternam pertinetis Hierusalem, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU CHRISTI, per quem Mundus crucifixus est, & ipse Mundo. Quem nunc etiam si blanditur sper-
nite,

OCIO RELIG. LIB. I. 

nite, nolite credere, mendax & ipse est,
sui Principis exemplo. Quod si quando
aliquid Mundus idem, cuius species exte-
rior pulchra est ratione sopita, sensibus
persuadere tentauerit, cum quibus illi
familiaritas ingēs est, excitate rationem
sensuſque compescite, & clamate de ter-
ris, cœleste præsidium inuocātes: clama-
te omnes, clamate singuli: Saluum me
fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ
vsque ad animam meam. Nam quid, oro,
fluenti similis, quàm res hominum sine
fine volubiles? vbi sunt quæso lætitiæ
breues, & inanes illorum omnium, qui se
ab ipsa Mundi origine ad hoc tempus vo-
luptatibus scēdis & curis inutilibus de-
derunt? Nempè vt istæ delapsæ sunt, & in
nihilum versæ, sic præsens dicto citius,
cum suis amatoribus collabuntur: Et vt
ait Psalmographus ad nihilum deueniēt,
tanquam aqua decurrens, & sicut cæra
fluit afferentur. Hæc sunt flumina Baby-
lonis, quorum meminit Scriptura: Videli-
cet lapsus, instabilitas, & fuga erunt tem-
poralium, ad Babylonis ius spectantium,
non ciuitatis Regiæ, cuius incolarum pe-
des stantes erant, in atris tuis Hierusa-
lem.

lem. Nam quid est aliud Babylon, nisi confusio? aut quid mundo confusius & amicis suis quibus ad literam illas inferni fabulas applicari posse, si dixerim, nouam fortè rem dixerò, sed ni fallor veram. Is animorum status, ea fluctuatio vitæ est, ut Tartareis vadis omnibus immerfi, & de vno quoque nacti aliquid, De Lethe obliuionem naturæ melioris, de Phlegetonte, irarum æstus atque cupidinum, de Acheronte infructuosam pœnitentiam & dolorem, de Coccyto, luctus ac lachrymas: De Stygio, inimicitias atque odia largiter hausisse videantur. Nec præsens supplicium moribus desit, quippè quos Tantalus sitis excruciet, Lapytharum filex exterreat, saxum Sisyphi fatiget, Ticij, vultur rodat, Ixionis rota præcipitans circumuoluat, ita nihil in eis nisi confiliorum circuitus, & flammæ libidinum & tenebræ iudiciorum, & instabilitas actionum, inquietam & turbidam efficiunt vitam, quid magis prodest homini, quo colabente Mundus stat? quanquam ne is quidem, si verum fateri volumus, manet, sed licet occultius, suum & ipse pergit ad finem, quotque vrbes in quibus nascimur & nutrimur æuo, prolixiore perdurant,

rant, quas tamen & senescere cernimus
& perire. Nec vlla vrbs immortalitatem
speret, cum caput vrbum videamus esse
mortale. Equidem vt pueris nouitijsquē
vestris placeat ista lecturis, non inele-
ganter illud ait Prosper:

*Nam mihi quid prodest quod longo flumi-
na cursu.*

*Semper inexhaustis prona feruntur a-
quis.*

Enumeratisquē alijs, ad hunc modum
intulit:

*Ista manent, vestri sed non mansere pa-
rentes,*

Exigui vitam temporis hospes ago.

Cogitate nunc & ante oculos ponite ci-
uitates quas inhabitastis, sed sic illas co-
gitate, ne desideretis. Amens est enim,
qui in portu positus desiderat tempesta-
tes, gaudete potius salua puppe, vos nu-
dos ē tanto naufragio euasisse, præteriti
nempè discriminis memoria suavis, de-
siderium insanum. Cogitate quales era-
tis dum inter accolos (omnes enim ma-
gna ex parte referuntur) per illarum pla-
teas ac porticus errabitis, in templis non
orandi animo, in foro non mercandi stu-
dio, sed spectaculis occupati, vt si vide-

retis & videremini, & placeretis oculis
 infanorum, despectatoris, æternos ocu-
 los cuncta cernentes non curantes. Fugi-
 te verò nunc vobis reditum ad easdem
 vrbes, rogo quid suspiciamini, reuidebi-
 tis forsitan notas tures, recognoscetis
 antiqua mœnia, quamuis & illa iugiter
 ruant, durabit vtrunque species loco-
 rum, intus labentur flumina, stabunt
 montes, quærite notos habitatores, ne-
 scio quomodo propè omnes abierunt.
 Magnus vos habebit stupor, eandem si-
 mulquæ aliam ciuitatem ingressos, vt di-
 catis cum Heraclito: In eandem ciuita-
 tem bis intramus & non intramus. Cer-
 tè ego qui peccatorum vinculis, in Mun-
 do velut in carcere adhuc sum, ciuitates
 veteres prospiciens, agnoscere videor, &
 easdem ingrediens non agnosco. Transi-
 te autem Regum Pontificumquæ pala-
 tia, ante limina ciuium superborum,
 quos familiariter nostis, muri fosan ad-
 huc senio resistunt, ipsi autem quid, pul-
 sa, voca, roga, si absunt, expecta paulu-
 lum dum redeant: quàm terribiliter in-
 ter afflictiones suas simplex & rectus ille
 vir dixit: Lignum habet speciem, si præ-
cisum fuerit rursus virefcit, & rami eius
 pulla-

pullulant, si senuerit in terra eius radix,
 & in puluerem emortuus fuerit, truncus
 illius ad odorem aquæ germinabit, & fa-
 ciet comam quasi cum primum tempta-
 rum est, speramus fortè, vt eadem condi-
 tio nostra: heu quàm dissimilis est. Se-
 quitur enim homo, verùm cum mortuus
 fuerit, nudatus atque consumptus, ubi
 quæso est? respondeant amatores seculi.
 Vbi sunt patres eorum? si tacuerint, Iob
 ipse respondeat. Quomodo si recedant,
 inquit, aquæ de mari & fluius vacue fa-
 ctus areseat, sic homo cum dormierit
 non resurget. Cæterum ne his verbis
 spem nouissimè abscinderet, addidit: Do-
 nec atteratur cœlum, non euigilabit nec
 consurget de somno suo. In terra Fratres
 irredituri abeunt huius terreæ domus
 habitatores, itaque dilecta hostia præte-
 rita, quos ibi reliquistis inquirete, ignotî
 hospitis supercilium occurret, in limine
 horror comas eriget, hærebitque vxor
 faucibus, cum audieritis more suo, de
 opibus fortunam, de suis mortem ius-
 se mortalibus, & vt in aquæ metaphora
 perseuerem, pulsabit animum illud eius-
 dem Iob: Fratres mei præterierunt me,
 sicut torrens, qui raptim transit in con-

uallibus. Credite mihi experto. Dilectæ
 olim ciuitates, hodie sui odium & horro-
 rem incuterent, adeò mutata omnia, &
 nihil eorum, quæ valdè placuerant tale
 est, aut omnino superest. Quærerem de
 maioribus, de Iulio Cæsare, de Tyberio,
 de Gaio, de Nerone, de Vespasiano & Ti-
 to atque Domitiano, de Seuero, de Dio-
 cletiano, de Constantino, sed efficacius
 animos tangunt exempla quæ vidimus.
 Ideò respicite vbi nunc est Bonifacius
 VIII. R. P. verus populorum & regum at-
 que vt dicitur orbis stupor: Quem nisi
 fallor vestrum aliqui viderunt? Vbi Suc-
 cessores, quos procul dubio vidimus,
 Ioannes, Benedictus, & Clemètes duo? vbi
 Rom. Imp. Henricus? Vbi Philippus Rex
 Francorum, pulchri cognomè ex re na-
 ctus. Quem cum formosissimis Filijs Pa-
 trique simillimis, qui eidem ex ordine
 successerunt, tam immatura mors rapuit,
 vt omnium non tam vita videatur fuisse
 quam somnium. Vbi Philippus alter Re-
 gis huius Pater, alio Filio fortunatior,
 quod illum tumulus habet, hunc carcer?
 Vbi Hispaniæ Rex, Sarracenorum modò
 terror & fidei clypeus, occiduis obiectus
 insulubus? Vbi denique Galliarum de-
 cus,

cus, & Italiae ornamentum Siculus Rex
 Robertus, sub cuius temporali regimine
 æterno Regi seruietes, quam suauiter
 quieuitis, insecutæ laborum indicant
 procellæ. Et sileo non tantum regio fa-
 stigio minores, sed plurimos quoque Re-
 gum, ne sim longior. Quærite vos de istis
 vbi habitant: ostendentur vobis exigua
 sepulchra, exornata ingenijs artificum,
 fortè etiam gemmis auroque micantia,
 vt est ambitiosa non modò vita homi-
 num, sed mors: viuent in Pario lapide i-
 mages defunctorum, secundum istud
 principis Poëtæ:

Viuos ducent de marmore vultus.

Sed ipsi, quæso, vbi sunt Epigrammata
 quoque magnifica & tituli altisoni, sed
 inanes, quos qui legis obstupeas. Sed sub-
 siste obsecro, dum limen extremæ domus
 panditur, noua subeunt spectacula, no-
 uus stupor, heu quam vel cinis exiguus,
 vel ingens copia, seu vermium seu ser-
 pentum. ò inopina mutatio, ò multum
 discolor rerum frons: vbi nunc satellites
 armati? vbi puellarum greges? vbi Ga-
 nymedes regius ad poculum deputatus?
 vbi coquinæ artifices & callidi sectores
 altilium? vbi purpurea vestis & ostrum

100 FR. PETRARCH. DE

substratum pedibus, & sectum ebur tra-
bibus, & compedes aurea frena manden-
tes? vbi suppellex curiosior, & vasa &
Damascenorum labor artificum, & alia
in vasis aureis extatia? vbi thalamum at-
que abaci, & cupresso atque ebena cru-
stata domus? vbi spectacula, & cantus, &
epistolæ terræ pelagique visceribus eru-
ta, & vina alio procul à sole venientia?
vbi tot lenocinia voluptatum, luteique
corpusculi tanti ornatus, & vertex diade-
mate inhians, & baltheo rutilante suc-
cinctus ventriculus, & stellantes digituli,
spolijs indici lictoris & sculptorum in-
genijs, ad postremum vbi coniunx im-
periosa, vbi imperiosa? vbi filij sicut no-
uellæ plantationes, & filia circumorna-
ta vt similitudo templi, quæ blando nu-
per attractu & dulcibus osculis, non du-
raturi pœnis colla mulcebant. ô flebilis
& infœlix transformatio, omnia in ver-
mes inque serpentes, omnia tandem in
nihilum abiére. Hæc equidem, nisi fal-
lor fructuosior animæ vitio contempla-
tioque funeris, quàm illa cuius vt de Le-
gibus Cicero meminit, vbi ait: Sibi de-
lectabiles non tam Athenas operibus
magnificis exquisitisque antiquorum,
quàm

quàm recordatione summorum viro-
rum, vbi quisque habitare, vbi sedere, vbi
disputare esse solitus adesset eorum se-
pulchra, studiosè contemplari. Valet hoc
fateor ad ingenium excitandum, hæc e-
nim æmulatio calor ingens, iuuatque
magnanimum, & præcedentibus & se-
quentibus se conferre, maximum quen-
dam & paulominus incomparabilem vi-
rum, id dixisse legimus, maximo cui i-
stud accidere animo, assertum se habere,
vt se non cum presentibus modò, sed cum
omnis æui claris viris comparet. Illud
aliud spectaculum horrendum, sed effi-
cacissimum ad salutem, apertio scilicet
sepulchrorum, præcipueque recentium,
eoque magis si sint Hominum notorum,
dum veniunt scaturigines, dum instar
sparsa cernuntur, dumque ossa suis mota
sedibus, consumptæ nares, commulsi den-
tes, oculorum specus limo obfitum, cœ-
no concreta cæsaries, & ô bone I E S V
quantò periculosius est quod latet, quid
enim nouit, talis corporis, qualis est ani-
ma, & quali, vbi misericordiam inuene-
rit, habitaculo sit recepta. Equidem Adria-
nus Imperator curiosissimus literarum,
quid de animæ recedentis itinere formi-

Se. iij.

daret, paucis expressit, quæ placet inferere, ut & sententiam tanti Principis, & affectum iudicent, qui sub extremum vitæ spiritum, dum alij plorant dicitur, & quando nullus est fingendi locus, haud dubiè sic loquitur, ut in animo est. Animam enim ipse suam, in morte alloquens, sic ait:

Animula, vagula, blandula,

*Hospes comesque corporis que unquam
abibis in loca,*

Pallidula, rigida, nudula,

Nec ut soles dabis iocos.

Parumné quæso perspicuè quid sentiret & quid timeret aperuit, quod si Principibus talis est, Mundus non durat, & si talis est exitus, qualem putemus esse alijs, quibusvè vita quidem ipsa, suo quotidiano labore promittitur. Sed in vita Homines hæc audiunt, quibus natura insitum est, animos quantum possunt ab amara & mœsta cogitatione deflectere, & ea sibi fingere quæ delectent, non quæ crucient. Itaque cum medijs in ærumnis senuerint, adhuc sibi iam à tergo, relictae vitæ felicitatem spondere non desinunt: tanta votorum pertinacia est, ut expectare malint, quod fieri non posse sciunt,

sciūt, quàm quòd est ferre fortiter & prudenter aduertere. Quà in re innumerabiles falluntur, siue vt verius dicam, scientes & volentes delectabilem in errorem incidunt. Et sese fallendi studio vtrò inhaerent, nec nisi flentes & coacti, à placitis, licet falsis opinionibus euelluntur: quæ sunt multæ. Sed omnium summæ est, illa à Cicerone posita in Tusculano, quòd Metelli sperat sibi quisque fortunam. Illa maior periculosiorquæ demencia, quòd nec conditione naturæ, nec tot assidue exemplis inducimur, vt de morte cogitemus, non credo, quia prorsus mortalitatis & imbecillitatis oblitifimus, sed iuuat oculos auertere, nonnè in eodem videmus, quasi non sit tutius aduenientem hostem prospicere, quàm conuiuentibus oculis expectare dum feriat, fragilitas quædam adest omnibus nota, nisi dissimuletur, mors autem instat ac properat, sed nobis dilatione blandimur, cum illa sit in foribus, ne dum seni sed anniculo. Quippè quam vitæ breuitas vicinam, incertitudo autem semper ceruicibus impendentem faciat, cæterum ergo clara voce testatur, quòd qui nunc volentes vtiliter de morte non co-

gitant, citò volentes, quod valdè vercor,
 inutiliter cogitabunt. Huic tandem ar-
 ticulo finem pono. Frustrà nitimini, ne
 quicquam Fratres per vos ipsos assurgi-
 tis, non est opus virium nostrarum, pon-
 dus carnis sordidum & graue, animam
 miseram imbecillem mole sua premit, &
 suffocat, ea vobis iugis & perdifficilis lu-
 cta est reliquistis enim Diabolum ac
 Mundum, & vtrunque sacrae Domus ob-
 seratis foribus, exclusistis. Benè Cicero
 ergo in libris de Rep. disputat de animo
 ad cœli ascensum agili. Id enim, inquit,
 cœcyus faciet, si iam tū cū erit inclusus in
 corpore, eminebat foras, & ea quæ extra
 erunt contemplans, quam maximè se à
 corpore abstrahet, tale est, quod & dissi-
 gi à corporibus, & ea tanquam peregrini
 incolere iubemur: tale demum est vtile
 Platonicum istud, in Phedone: Nil aliud
 esse philosophiam, nisi meditationem
 moriendi: vbi duæ designantur mortes,
 altera nature, virtutis altera, quarum pri-
 mam nullatenus nec accersendam nec ti-
 mendam, sed æquo animo expectandam.
 Quo genere moriendi nostri, præcipuè
 vti sunt, voluptatum & cupidinum omni-
 um oblitæ, & ita viuentes in corpore,
 quasi

quasi iam membrorum ergastulo euasis-
sent. Huc ergo doctrina Philosophorum
exhortatio referenda, verè enim carnem
propriam relinquere, vbi naturæ imperio,
hoc est morte non licet. Et dum viui-
mus, quocunque fugierimus illa nos se-
quitur, vbi cunque latuerimus illa nos in-
ueniet: itaque nulla inde homini requies
nulla vsque ad vltimū securitas consum-
mata. Siquidem vanitates, quibus adole-
scentia vel iuuentus olim renunciauerit,
sæpè senio occurrant & recurrant. Et
blando murmure querulæ, Vbi nos, in-
quiunt, dimittitis? Ad quas de cætero
nullus est reditus, vbi vos speratis, an vbi
non somnus, non esca, non nuptiæ: quin
frui mini dum licet neue tempus indul-
tum perditæ, quod perbreuè tum velo-
cissimè labitur. Ad illum, qui solus po-
tēs est succurrere, in hoc intestino & do-
mestico prælio clamandum est, ille sup-
pliciter exorandus, vt nos liberet de cor-
pore mortis huius. Vnde meritum ho-
minis non liberat, sed gratia Dei solius,
cui nihil ne dicam impossibile, sed ne
difficile quidem est. Ita ergo cum Apo-
stolo recurramus ad fontem gratiæ, ne
in nostra ariditate pereamus. Quin &

cum eodem illo sapientiæ tractatore, quem Philonem Hebræi opinantur, per quem continentiam Domini Dei esse didicimus, per sapientiam Dei Fratres in præfenti certamine carnis vestræ roborabimur, & victores erimus, & ab omni corruptione purgabimur, corrigemur, sanabimur, hæc est via qua gradiendum est vobis, ut carnem quam relinquere nequiuistis subiugare possitis. Multa quidem Fratres Babylonis flumina nouimus, magno transuadenda periculo, in quorum transitu nostri Ducis dexteram poscentes, Christiano ore Poëticum illud exclamemur, ad inuictum verè, quod ad suum verè victum & profugum ille naufragus apud Virgilium exclamabat:

Eripe me his inuictè malis:

Da dextram misero, & tecum me tolle per undas.

Sedibus ut saluè placidis in morte quiescã.
Fluit, inquit Cicero, voluptas corporis, & prona quæque auolat, sæpiusque reliquit causam pœnitendi quã recordandi. Quidam inter hæc hæsitet Fratres mei? an erubescere malit, an sanctificari, an stipendium peccati mortem eligat, an æternam vitam. Quod si optione horum nemo dubi-

dubitat, nec in eo dubitare conueniet, an
carni an spiritui sit parendum, cum inde
corruptio & mors, hinc sanctitas & æter-
na vita proueniat, Cato, Cogitate cum a-
nimis vestris, inquit, si quid vos per labo-
rem rectè fecistis, labor iste citò à vobis
dum viuitis non abscedet. Si qua per vo-
luptatem nequiter fecistis, voluptas citò
abibit, nequiter factum illud, apud vos
manebit. Melius quidem, ait, semper,
quã quod ante dixerat, dum viuitis, & præ-
fertim apud vos, quibus persuasum est
opera viuentium mortuos sequi, nec pœ-
nas aut præmia morum. Itaque Fratres
mei, hic maximè vel Apostolici præce-
pti, vel Philosophici consilij memores
insistamus: cogitet secum quisque. si quid
virtuosè gessit in vita, quam illum glo-
ria, & quanta secuta delectatio est: si quid
libidinosè vel turpiter, quantus pudor
vel pœnitentia, quantus dolor: & ex præ-
teritorum memoria eligat, quid agen-
dum vitandumue sit, corporeæ turpitu-
dinis magnitudinem fructui exiguo seu
verius nulli, simul & famæ damnum ex-
timet, & corporis animæque iacturam,
intendatque acriter, quid est quo tanto
pretio venale proponitur nundinantibus

Mundo, Carne, Dæmoniis, & mortales oculos fuco mulcente fallētibus, tēdat intimā rerum introspicere, superficiemque contemnere, neque concupiscentiæ inserviat, sed saluti. In omnibus lapsum rerum præsentium consideret, principij memor, finemque prospiciens, & meminerit pudoris, astris se, quamvis in latebris, luce clarius cerni, sciens & blandientes illecebras, masculo supercilio reiciens, omnes cogitatus ad honesti studium deflectat. Cogitet iuuenis pudicitiam, in iuuentute pulcherrimam: cogitet senex fœdissimam in senectute libidinem: cogitet formosus, nasi pulchritudinem cum castitate: cogitet deformis, animum ipsum vitiis deformari, iste deformitatem caueat, hic formam concupiscat interni hominis: sciat se puer nunc cepisse, nouerit senior, nondum consummasse, longæ vitæ curam suscipiat, hic susceptam sollicitudinem non deponat: quærat diues continentiæ laudem: pauper lasciuix vitet infamiam: pudeat Monachum non actui modò, sed cogitari fœdo aliquem in cilicio locum esse. Exulent à rigido limine molles curæ, & desideria delicata à duris cubilibus arceantur.

tur.

tur. Quid autem tam diuersum, quàm rigor heremi & mollities carnis? Delicatif-
sima res est amor ille carnalis, somno,
quiete, cibis alitur, leui amictu, & exqui-
sito cultu, clandestino murmure, lætitia,
iocis & cantibus delectatur, asperitates
odit ac refugit, nullum ergo illi, intra du-
ritiem atque asperrimas domos vestras,
diuersorium: nullum cum insomni & la-
boriosa ieiunia & inculta familia, mœstis
suspiriis & duris semper accētibus Deum
laudāte, commercium. Speremus & pre-
cemur, vt temporalis Domini nostri
mors, ab æterna morte nos liberet, vt illa,
inquam, mors carnis huius, peccatorum-
que nostrorum mortificatio, resurrectio
eiusdem animarum nostrarum, & in fine
etiam corporum vita sit. Misereatur affli-
ctis, opem ferat egentibus, manum præ-
beat fatigatis, graui enim sarcina premi-
mur dum viuimus, modò dum viuere di-
cimus, dum hic sumus, & mutati que de-
cor animi, sæpè veteribus maculis clam
repentè respargitur. Et adolescentiæ pro-
bra sensim longæ consuetudinis obducto
velamine, rursus ita se ingerunt, & iam
fessam atque emeritam senectutem inse-
quuntur, & cœlestis excubitor, signo da-

110 FR. PETRARCH. DE

to, insidias retegat, in antiquam legem, atque olim à tergo proiecta dedecora, relabendum sit. Cicero nullam capitaliorem pestem, quàm voluptatem corporis Hominibus dicebat, à natura datã, cuius voluptati libidines temerè & effrenatè ad potiendum incitarentur. Hinc patriæ prodiciones: hinc Rerum publicarum euerfiones: hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci, nullum denique scelus, nullum facinus esse, ad quod suscipiendum, non libido voluptatis impelleret: supra verò & adulteria & omne tale flagitium, nullis excitari aliis illecebris, nisi voluptatis, cumque homini siue natura siue quis Deus, nihil mente præstabilius dedisset, huic diuino muneri ac dono, nihil tam inimicum quàm Voluptatem: nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, neque animo in voluptatis regno virtutem posse consistere. Hæc Architæ sententia est, Ciceronianis verbis à me exposita. Vigilate igitur & orate, Fratres amantissimi, laudantes inuocate Dominum, & ab inimicis salui eritis: Ocium agite, & scietis: Vacate & videbitis quod optatis, & quicquid obsistit, amolimini. Plurima quidem & maxi-

OCIO RELIG. LIB. II. III

ma sunt detrimenta libidinum, siue animam siue corpus attēdimus, siue famam, siue quò inter leuia numerē, patrimoniū ipsum, siue quò irreparabile dicitur, & est tempus. Inter damna tam graua, fructus exiguus, seu potius nullus omnino est, quę utilitas in sanguine meo, dum descēdo. Nulla enim tam prompta rupes, nullū barathrum tam præceps, nulla crepido montis tam aëria vsquam est, vnde tantus tamque terribilis sit descensus, quam ex innocentie vertice in abyssum peccati (non si quis ex summo saxi huius, quod hæc scribenti imminet, quo neque altius visus frustratur, extimatio, neque promptius vllum vidi, cernuus in viuum sorgie fontem cadat) vt ruinæ, nulla utilitas, nullus fructus appareat, quamuis ea quoque certior apertiorque res sit, quam vt probari aut monstrari egeat. Scipio ait libidinosus: Vince animum, caue deformes multa bona, vno vitio, & tot meritorum gratiam, maiore culpa quam causa culpæ est corrumpas. ò digna vox. Maiore inquit, culpa quam causa culpæ. ò vtinam hoc dictum, examussim intentent atque expendant, quicumque instinctu libidinis præsertim ad peccandum veniunt, vt vbi

carnem acres stimuli perurgent, hoc saltem freno sese mens incitata cohibeat. Non equidem inficior, Corpus ab adolescentia indomitum, postquam in licentia & libertate coäluerit, haud facile frenari, cum sit scriptum: quod qui delicatè & à pueritia nutrit seruum suum, postea illum sentiet contumacem. Seruus quidem, immò verò asellus hic noster, nutritus in pascuis voluptatum lætis ac mollibus, intor flumina illa, de quibus duximus, affuetas per planas & latas sæculi vias, quid impiger euaserit, ad ascendendum in montem Syon, cuius in verticem arduus & angustus & serupeus trames fert: quid hic verò remedij est, nisi vt quò serius, eò acrius summa vi & omni studio incumbamus, vt solita dediscens, insueta condiscat: durum opus & laboriosum fateor, sed salubre. Nam profectò si salui esse velimus, frenum excipere & pati verbera, cogendus est asellus iste cui insistimus, ne suo more lasciuiens, atque recalcitrans, nos in præcipitium secum trahat. Fecisse id quosdam vidimus, sed plures audiuius aut legimus, sed in primis etiam illos eximios contemptores mundanarum rerum, Hilarionem Monachum

ac Franciscum, quorum primus aduersus
 flammam voluptatis, generosa indigna-
 tione, vix dum pubes, viriliter inarde-
 scens, & vt Hieronymus de isto scribit,
 iratus sibi & pectus pugnis verberans,
 quasi cogitationes cordis cæde manus
 posset excludere. Ego te, inquit, a selle fa-
 ciã vt non calcitres. Nec te hordeo alam,
 sed paleis & fame conficiam, & siti, graui
 onerabo pondere, per æstus indagabo &
 & frigora, vt cibum potius quàm lasci-
 uiam cogites: secundus verò similia & di-
 xisse & fecisse legitur. Suum nempè asi-
 num, sic enim & ipse corpus suum appel-
 labat, nudum noctu, niuis in cumulum
 demergens fœdæ voluptatis incendium,
 mentis ardore, & carnis algore superauit.
 Hæc nobis exempla sequenda sunt Fra-
 tres, hoc tenendum iter, & nobis noster
 asellus loris agitandus, cibo arcendus,
 grauioribus sarcinis premendus, & vren-
 dus denique modis omnibus, castigandus
 & redigendus in seruitutem. Fratres mei
 in hoc tam periculoso & continuo certa-
 mine, quod vestra cum carne geritur, ho-
 ste domestico: intendite, laborate, vigila-
 te, circumspicite ad omnem strepitum,
 galcati in aciem profilite, nullæ sunt ig-

H. i.

114 . FR. PETRARCH. DE
ducia vt in ceteris bellis, assidue de salute
& de summa rerum nostrarum periclitamur, cum fallacissimo hoste res est nobis: nunc vi, nunc dolis agimur tam varie, vt nunc veri hostis, nunc simulati amici, Fratres appareant. Quid enim incōstantius voluptate, quid blandius, quid infidiosius! Sciunt qui experti sunt: quis autem non expertus est, si Homo est, plena ætate, corpore integro? Cæterum quò pertinacior hostis, eò clarior victoria. Blandissimæ voluptates, magnas partes animi à virtute detorquent, ait Cicero, & Seneca, Voluptates, inquit, præcipue ex turba, & ànuissimas habe, latronum more, quos Cilicas Aegyptij vocant. In hoc nos amplectuntur vt transglutient. Sic est, cætera, nos velut ab aduerso feriunt mala, luxuria animum deiectura complectitur, Venienti igitur resistendum, occurrendumque principiis, & illud ante oculos habendum: beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram. Siquidem paruulos novos, & modò natos cogitatus intelligimus, quos antequàm crescant, & nos superent, & vsu armati nos de rationis arce deiciant, allidere monemur ad Petram. Petra autem erat CHRISTVS.
Nam

Nam quis obsecrò, tam præruptæ tamque inflammatæ libidinis vsquam erit, qui acriter ad memoriã reductis CHRISTI vulneribus, non frigescat, & sanguine eius ad hoc fuso, vt inde potissimum concretæ nostrorum sordes vulnerum lauantur. Nullus imber aut ros, herbis arenibus opportunus adeò est, si in deuotam animam ex alta nube calidæ contemplationis effluerit, multò sit opportunior humanis ardoribus extinguendis aut sedandis. Quis verò tam inhumanus, & ingratus, vt atrocem vel Patris vel Amicì vel Domini mortem recolens, suæ salutis causa præsertim, sui que amore susceptã, suarum libidinum non incipiat obliuisci, & ab inepta turpi que lætitia pulchras subito vertatur ad lachrymas. Atqui omnia hæc in CHRISTO sunt: quid enim sibi vult aliud Esaiaë visio, cuius principium est: Audite Cœli & auribus percipe Terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Ecce, inquam, paucis verbis & Patrem audiuius & Dominum. Amicum certè ipse idem se fecit: Vos enim, inquit, amici mei estis, iam non dicam vos seruos: amicos nos vocat ille. Nos

H. ij.

116 FR. PETRARCH. DE

Dominum agnoscamus. Quibusdam Dominis mos est, ut cum servis suis familiariter viuāt, suauiter colloquantur, multa ferāt, multa ignoscāt, multa deserāt, multa diffimulent, qui non ideò timendi sunt minus, sed amandi magis. Quis autem CHRISTO mitior, qui ait: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Quantò id rectius nobis Pater iste Coelestis, quàm apud Virgilium Aeneas filio:

Disce puer virtutem ex me.

Eecce CHRISTVS Pater & Dominus & Magister & Deus noster, ore suo praecepit, ut ab eo non virtutes illas diuinas, & nequaquã mutabiles discamus, sed quod est Hominis proprium, maximè esse mites & corde humiles, qui ad hoc descendunt. Alio equidem nos misisset, si omnino vllum clarius exemplar Mansuetudinis inuenisset, an forte eius ineffabilis & ànfinite clementia, non satis omnibus in se sperantibus nota est. Quotidie nos expectat, vocat, excitat, monet, hortatur, inuitat, per nuncios, per literas, per seipsum: Venite ad me qui laboratis &c. Offert requiem laborum, refrigerium dolorum, veniam peccatorum, spem bonorum, vitam denique sempiternam Pol-
lico.

licetur. Derelinquat inquit impius viam
 &c. Quid hac in voce suavius? Sed expe-
 cta peccatum, siue ceperit irasci. Si au-
 tem, inquit, dereliquerit filij eius le-
 gem meam, & in iudiciis meis non am-
 bulauerint &c. Quid nunc etiam hac se-
 ueritate tranquillius? virgam minatur, &
 verbera, non gladium, non scutum. Pa-
 terna comminatio non iudiciaria est, ca-
 stigat & castigando non perimit, sed mi-
 seretur & corrigit, quia ipse nouit fig-
 mentum nostrum, recordatus quoniam
 puluis sumus. Adhuc mitis & patiens, ad-
 huc miserator & misericors Dominus.
 Sed caue, noli nimium confidere, noli ex-
 pectare dū veniat, quod ait alibi: Si acce-
 ro vt fulgur gladium meum, & arripue-
 rit iudiciū manus mea, reddā retributio-
 nem hostibus meis, & his qui oderunt me
 retribuā. Ecce iam nil mite, nil paternū,
 sed iudiciarium, sed hostile, non enim
 iam Filios: non amicos, non saltem ser-
 uos vocat, immò hostes, nulla iam men-
 tio verberum aut virgarum, sed quid: I-
 nebriabo, inquit, sagittas meas sanguine,
 & gladius meus deuorabit Carnes: de
 cruore occisorum &c. Non hæc paterna,
 inquam, castigatio, sed hostilis est Vltio.

518 FR. PETRARCH. DE

Ecce quàm subito, quàm terribilis in
Consilijs super filios Hominum. Multum
differt, Subito irascitur, arripienda dila-
tionis, occasio est subita, ne nos ira cor-
ripiat, Cum exarserit in breui ira eius,
beati omnes qui confidunt in eo: vera
quidem confidentia, nisi de virtute non
noscitur. Hanc colamus, vt illam adipi-
scamur, quæ inter repentina pericula red-
dat intrepidus ac beatos. Quid enim a-
liud remedij est Fratres, aut quæ non in-
strumenta victoriæ quibus fidamus in
hoc bello, vbi spes nostra se collocet, an
in multitudine diuitiarum, an in regnis
& caduca potentia, an in virtute mem-
brorum & in corporeo robore? Inquies,
equis & curribus & bellico apparatu.
Absit hoc ab anima nostra. Non sunt hæ
ad salutem viæ. Non sit in nobis super
quam iusti rideant & dicant: Ecce Homo
qui non posuit Deum adiutorem no-
strum &c. Scimus quod non saluatur Rex
per multam virtutem &c. Scimus quia
fallax equus ad salutem, scimus quia non
in fortitudine equi voluntatem habebit,
quid ergo est beneplacitum Regis nostri
quo saluari nostra possit infirmitas? Certè
illud etiam scimus: Beneplacitum est
Do-

OCIO RELIG. LIB. II. 119

Domino super timentes eum, & in eis
 qui sperant &c. Hic est ergo rectissimus
 trames ad salutem, hic in arcu nostro
 non sperabimus, & gladius noster non
 saluabit nos, sed dextera Dei & brachium
 eius & illuminatio vultus eius, hic figen-
 da est spes, huc vertendus animus, hinc
 auxilium poscendum: hi in curribus, &
 hi in equis, nos autem in nomine Dei no-
 stri invocabimus. Et scientes quia vana
 salus hominis, in Deo faciemus virtutem
 & ipse ad nihilum deducet inimicos: hæc
 nostra virtus, hæc nostra securitas, hoc
 remedium vnicum contra iram Dei Va-
 care, Sperare, Timere & Orare, ne in furo-
 re suo arguat nos, neq; in ira sua corripiat
 nos. Amanda nempe Misericordia, tre-
 menda iustitia: hanc bonis actibus miti-
 gemus: Illam pijs precibus imploremus.
 Lactantius Firmianus & ipse magnus
 vir, ac in eo libro quo Gentilium errori-
 bus exarmatis, fidem nostram quantum
 quiuit armavit, omnemque hanc Deo-
 rum scenam mira & laudabili curiosita-
 te detexit, inque hoc idem opus, Augu-
 stino atque alijs sequacibus viam fecit,
 cum multa de prima Deorum inuentio-
 ne differuisset, sic adiecit: Deinde ipsi

H. iij.

120 FR. PETRARCH. DE

Reges, cum caruissent ijs, quorum vitam
composuerant, magnum sui desiderium
mortui reliquerunt. Itaque homines si-
mulachra eorum fixerunt, vt haberent
aliquod ex imaginum contemplatione
solatium, progressi que longius per amo-
rem, memoriam defunctorum colere ce-
perunt, vt & gratiam referre benemeri-
tis viderentur, & successores eorum alli-
cerent ad bene imperandi cupidinem.
His dictis testimonio rem confirmans,
ait que, Cicero de Natura Deorum docet
dicens: Suscepit autem vita hominum
consuetudo que communis, vt beneficijs
excellentes viros, in coelum fama ac vo-
luntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Ca-
stor & Pollux, hinc Aesculapius, hinc Li-
ber. Et alio loco: atque in plerisque ci-
uitatibus intelligi potest, ac uendae vir-
tutis gratia, aut quo libentius Reip. cau-
sa periculum adiret optimus quisque, vi-
rorum fortium memoriam, honore Deo-
rum immortalium consecratam, hac sci-
licet ratione Romani Caesares suos con-
secrauerunt, & Mauri suos Reges: sic pau-
latim Religiones esse ceperunt, dum illi
primi, qui eos nouerant, eo ritu suos li-
beros ac nepotes, deinde omnes posteros
imbue-

imbuerunt & habitum, Reges summi ob
 celebritatem nominis, in prouincijs co-
 lebantur, priuatim verò singuli populi,
 gentis aut vrbs suæ conditores, seu viri
 fortitudine insignes, erant seu fœminæ
 castitate mirabiles, summa veneratione
 coluerunt. Vt Aegyptus Isidem, Mauri
 Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Bra-
 mam, Latini Faunum, Sabini Sanctum,
 Romani Quirinum, eodem vtique modo
 Athenæ Mineruam, Samos Iunonem,
 Paphos Venerem, Vulcanum Lemnos,
 Liberum Naxos, Apollinem Delos. Sic
 per populos atque Regiones varia sacra
 suscepta sunt, dum homines grati esse in
 suos Principes cupiunt, & quos alios ho-
 nores vita carentibus deferrent, inuenire
 non possunt. Præterea Pietas eorum qui
 successerant, plurimum contulit ad erro-
 rem, qui vt diuina stirpe nati viderentur,
 diuinos honores parentibus detulerunt,
 deferriq; iusserunt. An potest aliquid
 dubitare, quomodo Religiones Deorum
 sint institutæ, cum apud Maronem legat
 Aeneæ verba socijs imperantis:

*Nunc pateras libate Ioui, precibusq; vocate.
 Anchisen genitorem:*

Cui non tantum immortalitatem, ve

222 FR. PETRARCH. DE
rumetiam ventorum tribuit potesta-
tem:

*Poscimus ventos: atque hæc mea sacra
quotannis:*

*Urbe velit posita templis sibi ferre dica-
tis,*

Idem scilicet de Ioue Liber, & Pan, &
Mercurius & Apollo fecerunt, ac postea
de his ipsis successores eorum. Accesserunt
etiam Poëtæ, & compositis ad vo-
luptatem carminibus in cœlum eos su-
stulerunt, si tamen faciunt, qui apud Re-
ges etiam malos panegyricis mendaci-
bus adulatur. Quod malum à Græcis or-
tum est, quorum leuitas instructa dicen-
di facultate & copia, incredibile est, quan-
tas mendaciorum nebulas excitauerit:
itaque admirati eos & susceperunt pri-
mi sacra illorum & vniuersis gentibus
tradiderunt. Ob hanc vanitatem Sibylla
ficeos Græcè increpat:

Græcia quid confidis in viros, Principes?

Ad quid dona inania mortuis dedicas

*Immolas idolis, quis tibi in mentem errorem
imposuit*

Vt hæc perficias, magni Dei ore,

Relictos;

Ad hæc, vt in libro Sapientiæ legitur,

pro-

prouexit ad eorum culturam, & eos qui
 ignorabant artificis eximia diligentia: il-
 le enim volens placere, ille qui se assum-
 pfit elaborauit arte sua, vt similitudinem
 in melius signaret, multitudo autem Ho-
 minum adducta per speciem operis, eum
 qui ante tempus tanquam Homo hono-
 ratus fuerat, nunc vt Deum adorauerunt.
 Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio. Quo-
 niam aut affectui aut Regibus deseruien-
 tes Homines, incommunicabile nomen
 lapidibus & lignis imposuerunt. Sanè
 quod ait affectui aut Regibus eò perti-
 net, vbi Cicero excellentium virorum,
 Lactantius verò regnum defunctorum
 reuerentia, erroris posuerit fundamen-
 tum, hic & Pietatem & affectum patrum
 addit, vtrumque possibile enim vtrum-
 que similitudinem veri habet. Super ædi-
 ficasse etiam vel Poëtas, vt ille vel Illu-
 stres artifices, vt hic ait pictores, scilicet
 aut quod idolo conuenientius est, scul-
 ptores, tam propriè dictum est, vt ad er-
 rorum cumulum nihil fingi possit effica-
 tius, cum in altero sint oculorum, in alte-
 ro sint aurium blandimenta, quibus præ-
 cipuè sensibus & varietas & falsitas in a-
 nimum subit. Cæterum Lactantius his

124 FR. PETRARCH. DE

quæ proximè audistis explicitis, iterum
versus ad Ciceronem. Marcus Tullius, in-
quit, qui non tantum perfectus Orator,
sed etiam Philosophus fuit, siquidem so-
lus extitit Platonis imitator, in eo libro
quo seipsum de morte filiaë consolatus
est, nō dubitavit dicere: Deos qui publicè
colerentur Homines fuisse. Quod ipsius
testimonium eo debet, grauißimum ju-
dicari, quod & augurale habuit sacerdo-
tium, & eosdem se colere venerarique te-
statur: Itaque intra paucos versiculos
duas res nobis dedit. Nam dum imagi-
nem filiaë eodem se modo consecratu-
rum profitetur, quo illi à veteribus sunt
consecrati, & illos mortuos esse docuit,
& originem vanæ superstitionis ostendit.
Cum verò inquit, & mares & fœminas
complures ex Hominibus in Deorum
numerum esse videamus, & eorum in vr-
bibus atque agris augustissima delubra
veneremur, assentiamur eorum sapien-
tiaë, quorum ingeniis etiam inuentis, o-
mnem vitam legibus institutis excultam
institutamque habemus. Quod si nullum
vnquam animal consecrandum fuit, illud
profectò fuit. Si Cadmi progenies aut
Amphionis, aut Tindaris in Cœlum tol-
lenda

lenda fama fuit, huic idem honos certè dicandus est, quod quidem faciam, tēque omnium optimam atque doctissimam approbantibus Diis immortalibus ipsīs, in eorum cœtu locatam ad opinionem omnium mortalium consecrabo. Hæc quidem Ciceronis ad literam verba sunt, in quibus & suum tenuit morem, & ita dolori suo paruit, vt veritati subintelligentium iudicio repugnaret, dum & Homines ad Cœlum non veritate, sed fama tolli solitos commemorat, seque priori exemplo defunctam filiam, quam summo amore dilexerat consecraturā quoque fama & literis, ac Deorum in consilio locaturam, non quidem verè, sed ad opinionem omnium mortalium pollicetur. Ipsis insuper Diis approbantibus, illis inquam Diis, qui nulla re magis quam, erroribus mortalium & superstitione delectantur, vt facile credi possit, illos, seu Homines mali, fuerunt, seu Dæmones, vtrò Ciceroni in consecratione Filix consensuros, quo vel errantis facundia vel scientis causa, saltem esset errorum his, quorum imbecillius ingenium verborum splendor hebetaret. Rectè id quidem de Cicerone Lactantius. Quale verò

est quod sequitur. Et cum vero ait, de Hercule, Libero, AEsculapio, Castore, Polluce incunctanter fateretur, de Apolline ac Ioue Patribus eorum, item de Neptuno, Vulcano, Marte, Mercurio, quos maiores gentium Deos appellauit, timuit aperte confiteri. Et idcirco ait, late hoc patere ut idem de Ioue cæterisque antiquioribus Dijs intelligamus, quorum memoriam, si eadem ratione veteres consecrauerunt, qua se imaginem nomenque Filiaē consecraturum esse dicit, ignoscimærentibus potest, credentibus non potest. Quis enim tam demens, qui consensu & placito innumerabilium stultorum, aperiri Cælum mortuis arbitretur, aut aliquem quod ipse non habeat, dare alteri posse? Ego sanè ut hæc diuinè dici fateor, sic in his Ciceronem timuisse non intelligo, & si enim amici conscientiam restarentur ex mysteriis intelligi posse, quam late pateret, id quod dixerant, volens & quæ de minoribus dicuntur, ad maiores etiam trahi: tamen ad ipsum de maioribus expressè dixerat, Maiores scilicet Deos, etiam hinc à nobis profectos in cælum reperiri: cuius dicti argumentum attulit mysteriorum traditionem,
ad

ad quam amici animum, memoriamque mittebant. Equidem si nec nostri ut faciunt vrgerent, neque illi vltro crederent, ac singula quæ ad Religionem pertinent vana eis esse atque irrita faterentur: tamen intelligentibus vllis illa confessio satis erat, quod terram Deorum omnium Martem esse dixerunt, quæ omnium quoque hominum Mater est, vt nihil dubij relinqueretur, omnes illorum Deos quantalibet superstitione, quantiscunque temporum spatijs adiuta, cultos aut colendos terrenos homines ac mortales esse, non Deos, quorum error suis in terminis si mansisset, grande periculum erat, præstare homini quod Deo debitum est. Verum occasione hac, Dæmones freti calliditate insita, defunctorum hominum statuas, subire credulitate atque inscientia hominum abutentes, vnde geminata periculi materia est, dum non modo homini, sed Dæmoni, Dei hosti, diuinum offertur obsequium. Ipsa statuæ, hoc est idoli, materia vicem corporis demoueat, inclusæ animæ locum obtinente, vt sit ex corpore & anima factus, ab homine illusor hominum Deus, constet vnus faciendi officium Tri-

megistus hominibus datum dicit, quod
 scilicet aduentum veri Dei vel ablatum
 esse, vel afferri debere conqueritur. Mihi
 quidem, fateor nunquam in animum ve-
 nisse, ut Deos ex Hominibus factos con-
 cedere satagens, tam multa ad cōtextum
 de Lactantio & Cicerone transcribere,
 nisi quia eorum libros vnde ista sume-
 bam, & alibi quidem raros, apud vos verò
 nullos esse meminerā Sed iam diū ne-
 scio an & viriliter à proposito deerrasse
 videor. Redeundum est. Ex omnibus igi-
 tur viis, quibus ad Cœlum conscendisse
 sunt crediti, qui ad inferna descenderant,
 nulla vobis eligenda est, non enim via
 sed deuia, quædam sunt, non eò ducunt,
 quo intendimus, quod rectum igitur no-
 bis iter non ostendat, vel fugiendum to-
 tis animæ gressibus, secedendum quàm
 longissimè ab arenosis atque palustribus,
 alto & confragoso calle gradiendum est.
 Linqüeda vitia, apprehendendæ virtutes,
 stultitia deserenda, sectanda sapientia: il-
 larum enim finis, harum principium esse
 solet. Hic est ordo qui ex Flacci verbis
 elicitur:

*Virtus est vitium fugere, & Sapiensia prima,
 Stultitia caruisse;*

Præclarè

Præclarè quidem Satyricus ait.

Semita certè tranquilla per virtutē patet.

Vnica vita.

Vnica tranquilla vitæ semita est, nec nos aliam sed istam solam vitæ semitam querimus per virtutem, hæc certè non alia, quo cupimus ducit. Nam Psalmographus sentiebat: ibunt, inquit de virtute in virtutem. Hæc via est terminus ille, qui sequitur. Videbitur Deus Deorum in Syon. Per Virtutes igitur ad videndum itur. O præclarum iter, & scælix terminus, rogo quid cupis his in terris? interdum per opacas valles & prata roscida, per frondosos & faciles colles, Specus amœnas & floreas fluminum ripas iter egimus, ut serò ad aliquam placitam mansionem venientes, exoptatam amici faciem videremus. Et interea laborem viæ obliti, oculis rerum occurrentium varitate leniuimus, quantò hæc gratior via est terminusque beatior, Ire totum hunc breuem, & velut hybernum vitæ diem, & iter iugi ascensu, de virtute in virtutem, iter altum & iucundum. Et cum semel assuêris, facile ut ad vesperam videatur Deus Deorum in Syon altissimus & beatissimus. Et nisi desipimus proprius noster finis. Nam ut

I. j.

136 FR. PETRARCH. DE
in extremo Ciuitatis Dei angulo scri-
ptum linquit Augustinus. Quid aliud no-
ster est finis, nisi peruenire ad Regnum,
cuius nullus est finis. Quæ nam verò na-
tura amicitia vel virtutis, quæ hic pro-
culdubio dulcissima rerum sunt, vel cu-
iusquam omnino rei alterius delectatio
tanta, vel esse vel fingi potest? Quanta est
ad ipsum, ultra quem nihil est, omnis ve-
ræ delectationis & gaudij fontem limpi-
dissimum peruenisse, ad quem qui perue-
nerit, inebriabitur ab vbertate domus
Dei: Et apud quem fons vitæ, & in lumi-
ne suo videbimus lumen. Et idcirco mi-
ror hanc Hominum cæcitatem, qui cum
voluptatis avidissimi sint, eamque omni
studio appetant, à summa eos voluptate
minor abstraxerit, quæ impellere magis
atque animare debuerat, vt multis & mi-
nimis vsque adeò delectati, tandem v-
num id quod summè delectaret inquire-
rent. Si enim fesso viatore tam suavis est
cespes herbosus, & sub umbra arboris e-
xiguus fons, quale est inter mortales vitæ
molestias, inuenisse fontem aquæ salien-
tis in vitam æternam? & vmbra illam,
sub qua non ad breuis horæ spatium, ne-
que ab æstu Solis tantum, sed in æternum
ab

ab omni aduersitate protegatur, & ab omni metu. Si magistra manu tersum & exculptum aurum, si lapillos perlucidos Indico littore aduectos, si quod iis omnibus maius est, si nitidum Solis iubar, & apricas terras, & florentes ramos & prata virentia, denique dilecti faciem cernere, & colloqui dulce est, quale illud spectaculum erit, vnde cæteris contigit vt placerent? Quicquid oculos aut aures, quicquid omnino sensus atque animum delectat, à quo precor, id ipsum vt delectaret, habuit, nisi ab isto, qui delectabilia cuncta, non tantum supereminet, sed creauit, eisque non tantum vt delectarent tribuit, sed vt essent. Atque ideò nullus mihi par furor in rebus Hominum videtur, nulla tam communis insania, quam propter exiguam & incertam breuemque dulcedinem, ab ista quæ immensa certa & æterna est, & sine qua hæc ipsa dulcedo nulla esset, auerti. Neque satis apud me huius mali causam intelligo, vel inuenio, nisi quia diffidētia humanæ mos est, amare præsentia, futura cōtemnere. Cum tamē & Diuini amoris dulcedo, vt maior & melior est, sic esse possit & certior & præsentior. Quoniã humanis & mutis in re-

bus, his præcipuè, in quas carnalis tendit affectus, aliquatenus spes quam res ipsa sit dulcior. Sed ea mentium humanarum inconstantia, ut quid velint diffinire difficile sit, cum cæteris in rebus, tam in hoc maximè quàm delectatione, in qua summam statuunt, nec ineptè modò, verum à falsa fugiunt. Et hæc quidem hætenus. Vos autem Fratres, quas Deo meritas gratias acturi estis, quibus in humilitate vestra paruulis reuelatum est, quod tot superbis sapientibus occultatum fuit, quæ scilicet animæ via, quis viæ terminus, & quis Dux, disputatur apud eos, multis quidem verbis de bonorum & malorum finibus, de quo Romani Principes eloqui, ut Augustinus ait, vnus è numero doctissimorum hominum, idemque eloquentissimus omnium, Marcus Tullius Cicero integrum edidit volumen, quinque distinctum libris. Neque verò his obstat, quod CHRISTVS ipse se viam dicit: ibidem enim se dicit, & vitam, verumque est illud Seuerini: Dux, semita, terminus idem. O Philosophi magni & laboriosi homines, à quibus ingenio victi sumus, en gratia vicinus gratuitisque muneribus, Laborastis, en quiescimus, seui-

stis,

stis, en metimus, quæsitis, en inuenimus.
 Neque culpa vestra. Neque meritum ve-
 strum, sed Domini fauor solus, qui agen-
 te Deo foelicius quàm sperabam. Ab illo
 igitur primum raptus, & à semitis meis
 parumper adductus sum, accessit sacer
 nominandus Ambrosius, accessere Hie-
 ronymus Gregoriusque, nouissimus oris
 aurei Ioannes, & exundās lacteo torrente
 Lactantius. Ita hoc pulcherrimo comita-
 tu, Scripturarum Sacrarum fines, quos
 ante despexeram, venerabundus, ingre-
 dior, & inuenio cūncta se habere quæ
 credideram. Accessit opportuna necessi-
 tas, diuinas laudes atque officium quoti-
 dianum, quod malè distuleram celebra-
 dum, quam obcausam Psalterium ipsum
 Dauidicum sæpè percurrere sum coa-
 ctus, è quibus fontibus haurire studui,
 non vnde disertior fierem, sed melior si
 possem, neque vnde euaderem disputa-
 tor maior, sed peccator minor. Has igitur
 Scripturas, quas ego aduena, necdum no-
 tas, odore quodam illectus adamauī serò,
 licet vos velut indigenæ, & in his à prin-
 cipio enutriti amate, colite, veneramini,
 frequentate. Nunquam de manibus ve-
 stris si possibile sit, certè de mentibus ve-

stris excidat nunquam. Quarum siue auctoritas quaeritur, à Spiritu Sancto prolatae sunt, & CHRISTI ore firmatae: Siue antiquitas, & omnes omnino seculares literas antecedunt, ante quam Cadmus Graecarum repertor, antequam Isis Aegyptiarum, antequam Carmentis Latinarum inuentrix nasceretur, hae literae celebres erant in orbe terrarum, si etiam virtus attenditur. Et sagittae sunt acutae, & ardentes, quae quibus infixae fuerint corda viuificant. Siue fructus optatur, & cerere cum caeterorum merces sit aut breue lucrum, aut aura volatilis, falsus fauor, harum finis aeterna vita est, & vera felicitas, si forsitan ornatus exigitur. Et quamuis multa de hoc dici possint, haec tamen omnium summa est, quasdam superficientius compositiores, pulchriorem nullam. Itaque fingi iubeo hinc Matronam formosam, sobriam, pudicam cultu exiguo contentam, illinc exquisitissime compositam Meretricem, fucis ora vendentem quis nam adeo hebes, ut dubitet quam potius in coniugem sibi asciscatur. Magni doctique viri multi fuerunt discreti aliqui, nescio enim quomodo facilius est doctum hominem reperire quam disertum,

fertum, immò non tam in promptu est, quod doctrina sine eloquentia esse potest, eloquentia verò sine doctrina, eaque multiplici & varia esse non potest, nisi fortè loquentem pro eloquente posuerimus, quo nihil est falsius. Et hæc est radix vel Poëticae vel oratoriae raritatis, de qua multa diuinitus in eo libro, qui Orator inscribitur, disputauit Cicero. Quamuis sanè doctorum & eloquentium omnis cohors, quotquot ab origine rerum, vsque ad hanc diem quacunq; parte Mundi floruerunt, quos enumerare longum est, philosophentur, disputent, potent, res decoras stilo quolibet exornent, & tenuissimo artificio ac Poëticis verbis tegant, non ne omnes indocti & muti & elingues videbuntur, ubi ab aduerso sola CHRISTI vox intonuit, verissimumque illud Regij Prophetæ: Absorpti sunt, vt in comparatione Petræ, per quam CHRISTVM intelligi solere nouimus, nil prorsus appareat, & pro se maximi videbantur. Hæc sunt Fratres, quæ ocio Religioso vt scriberem occurrebant, quamuis haud ignarus sim, eo vsque sermonem

protendi posse, quousque occupato-
rum miseræ protenduntur, quarum
nullus est terminus. Sed satis nunc dixisse
visus sum: reliqua ex vobis audire ha-
beo, quos horum fecisse debuit expe-
rientia Magistros, Hoc ergo de quo lo-
quor Ocium, & hæc vacatio præstabit
vt videatis, quoniam Deus ipse est Do-
minus, & acriter intueamini, quæ ad
salutem aptissima sunt, & si à sensibus
vehementer abhorreant, atque in pri-
mis nostram & prætereuntium rerum
fugam, neque Mundi ac Carnis aut Dæ-
monum superaddite, nec capiamini, ne-
ûe quis vestrum hostibus suis aut consi-
liariis malis credat. Postremò nunquam
fletus aut luctus diuellatur, vnde vtique
necessarium est diuelli: ad hæc videnda
lucidum & quietum delegistis locum,
arripuistis iter rectum securum, bono
collyrio lauistis oculos, sic agite, per-
gite quo cepistis, nemo se in tergum fle-
ctat, Statua salis, in quam mulier re-
tro respiciens versa est, animas vestras
salutifero sale condiuerit, nullus Homi-
nium sine peccato est. Sed peccatori
dicitur: peccasti, quiesce. Quiescite
ergo,

ergo, Vacate, ocium agite, videte,
gaudete, pro me flete, &
mei memores valetate,

O fœlices, si vos-
ipſos & bona ve-
ſtra cogno-
ſcitis.



138 FR. PETRARCH. DE
FRANCISCI PE-
TRARCHÆ V. C. DE
VERA SAPIENTIA,
DIALOGVS I.

Collocutores.

ORATOR, IDIOTA.



Onuenit pauper quidam
Idiota ditissimum Ora-
torem in foro Romano,
quem facetè surridens
sic allocutus est. I. Mi-
ror de fastu tuo, quod tu
licet continua lectione defatigeris, innu-
merabiles libros lectitando, nondum ta-
men ad humilitatem ductus sis: Hoc
certè ex eò, quia scientia huius Mundi,
in qua te cæteris præcellere putas, stul-
titia quædam est apud Deum: & hæc in-
flat. Ex qua inflatione tumida oritur su-
perbia, quæ natione cœlestis, semper in
altum nititur, vt grauis cadat, vera au-
tem scientia humiliat, quæ nulla infla-
tione graue facta, in altum non casura
volat. Optarem igitur vt ad illam te
conferres, quoniam ibi est thesaurus læ-
titiæ.

titia. O Quæ est hæc præsumptio tua
 pauper, Idiota & penitus ignorans, vt sic
 parui facias studium literarum, sine quo
 nemo proficit. I. Non est magne Ora-
 tor præsumptio, quæ me silere non finit,
 sed charitas. Nam video te deditum ad
 quærendum sapientiam, multo casto la-
 bore, à quo te reuocare si possem deside-
 ro, ita & tu errorem perpenderes, puto
 contrito laqueo te euasisse gauderes.
 traxit te opinio auctoritatis, vt sis quasi
 equus naturaliter liber, sed arte capistro
 alligatus præsepi, non aliud comedit nisi
 quod sibi ministratur. O. Si non in libris
 sapientum est sapientiæ pabulum, vbi
 nunc est? I. Non dico ibi non esse, sed
 dico naturale ibi non reperiri. Qui enim
 primò se ad scribendum de Sapientia
 contulerunt, non de librorum pabulo,
 qui nondum erant incrementa recepe-
 runt, sed naturali alimento, in viros per-
 fectos euadebant: Et hi cæteros qui ex
 libris se putant profecisse, longè sapien-
 tia antecedunt. O. Quamuis fortè sine
 literarum studio aliqua sciri possunt, ta-
 men res difficiles & grandes nequa-
 quam, cum scientiæ creuerint per addi-
 tamenta. I. Hoc est quod aiebam, scili-

cet te duci auctoritate & decipi, scripsit
 aliquis verbum illud cui credis, ego au-
 tem tibi dico, quod sapientia foris cla-
 mitat in plateis, & est clamor eius, quo-
 niam ipsa habitat in altissimis. O. Sa-
 pientiam attameo studio ac librorum
 lectione consecutus sum. I. Rem
 magnam si vera esset, & inseparabilem à
 virtute. Crede autem mihi nunquam si
 verè sapiens esses, hoc diceres: Sapiens
 enim quantum est quod sibi desit intelli-
 git: non gloriatur itaque, sed suspirat. O.
 Sapientem me profiteor. I. Benè irent
 res si tot essent sapientes, quot sapientiæ
 professores. Nunc illud per difficile est,
 hoc verò facillimum. O. Studio ad sa-
 pientiam perueni. I. Vtique sic ad illam
 peruenitur, sed an tu perueneris recogi-
 ta: non est enim res studij breuis egens,
 aliquot annorum vt reliquæ artes, tota
 vel longissima opus est vita, si quis vt
 aiunt, tota die currens peruenit ad vespere-
 ram, satis est. Notum est illud Platonis,
 vt alia multa, præclarissimum, quod tuo
 Ciceroni placet, & mihi: Beatum cui eti-
 am in senectute contigerit, vt sapien-
 tiam verasque opiniones assequi possit:
 has tu an calle medio obuias habueris
 mi-

miror, an nescio quo pennato equo ve-
 ctus, an tempus attigeris, incertum, qui
 tam citò sapiens evasisti. O. Sapientiæ
 perfectionem cœlitus accipi, est enim sa-
 pientia donum, omne autem donum de-
 sursum est à Patre luminum. I. Est fa-
 reor cœleste donum Sapiencia, sed mag-
 nus certè vir erat & Dei amicus Paulus,
 qui non vt tu de sapientia, sed potius hoc
 modo aiebat: Non quod iam acceperim
 aut perfectus sim. O. Sapienciam cupi-
 da mente comprehendere. I. Vt pecunia
 rerumque multarum mala, sic sapientiæ
 cupiditas bona est. Sed an tu tantæ rei
 capax sis videto. Certè ille idem de quo
 modo meminit Paulus Apostolus: Ego
 me, inquit, non arbitror comprehen-
 disse: & ille quoque permagnus erat,
 qui cum Deo de seipso loquens aiebat:
 Imperfectum meum viderunt oculi tui.
 hoc est proprium sapientis, imperfectum
 suum nosse ac fateri. O. Sapiens dicor.
 I. Non tuæ neque alienæ voces, vnquam
 sapientem fecerunt, sed res ipsa. O. Sa-
 piens vulgò dicor. I. Vulgus insanos sa-
 pientes, & sapientes insanos, iure suo di-
 cere solet, quod est vt falsa pro veris, &
 vera pro falsis habeat. Nihil est à verita-

te remotius, quàm vulgaris opinio. O.
Omnes me prædicant sapientem. I. Ad
famam fortasse aliquid, ad sapientiam
nihil omnino. Sentio autem superscri-
ptionibus inniteris literarum, quibus ni-
hil est liberalius: non satis est facere sa-
pientes, qui non sunt, sed egregios & in-
signes faciunt & reuerendos, serenissimos
insuper & illustres, vt iam simplex sa-
pientiæ titulus sit pudori, qui quàm pau-
cistamen conueniat, stupor est. Vis au-
tem nosse quàm sis sapiens, verte oculos
retro, recordare quotiens in hoc vitæ
cursu cespitaueris, quotiens offenso pe-
de cecideris, quot pudenda, quot dolen-
da, quot pœnitenda commiseris, tunc si
audes dicito sapientem, credo autem
non audebis. O. Scio me sapientem. I.
Literatum fortè vis dicere. Sunt enim
planè literati aliqui, licet pauci, sapien-
tes autem penè nulli. Aliud est sapienter
loqui, aliud sapienter viuere, aliud dici,
aliud esse sapientem: fuere qui dicerent
sapientem nullum, id quàm verum fal-
sumue sit, non disputo. Certè nimis præ-
rupta est sententia, & ad desperationem
prona, & studio aduersa sapientiæ. He-
bræi sapientem Salomonem suum præ-
dicant

dicant, qui quàm sapiens esset, turba coniugum pellicumque testatur, multoque magis Dijs alienis cultus exhibitus. O. At Romani sapientem Lelium & Catonem habuere, Græcia ipsa dum floruit, septem habuisse dicitur Sapientes. I. Hæc de antiquis sapientibus. Fœlicior ætas nostra, quæ non vnum duosue aut septem, sed in singulis vrbibus ceu pecudum greges numerat sapientes. Nec mirum, sanè multos esse qui tam facile fiant. Venit iuuenis stultus ad templum Doctoris insignia recepturus, præceptores illum sui celebrât, seu amore seu errore, tumet ille, vulgus stupet, applaudunt Affines & Amici, ipse iussus cathedram scandit, cuncta iam ex alto despiciens, & nescio quid confusum murmurans: Tunc maiores certati ceu diuina locutum, laudibus ad cælum tollunt, tinniunt interim campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula, vertici rotundus ac magistralis biretus apponitur. His peractis, descendit sapiens, qui stultus ascenderat; Mira prorsus transformatio, nec Ouidio cognita, sic fiunt hodie sapientes: Verus sapiens fit aliter. O. Sapiens attamen sum. I. Solent qui de se magnificè sen-

tiunt, confidenter maiora viribus aggredi inque nisu medio prolapsi, suo magno vel periculo vel pudore, addiscere quam iusti rerum aestimatores fuerint suarum. Præstat igitur (mibi crede) falsas opiniones abijcere, insolentiam deponere insipientiam circumspicere, & optare nequa experiendæ sapientiæ necessitas indat, quæ declaret te de nihilo gloriatum. Hæc rectior tutiorque querendæ sapientiæ via est. O. Credo & ego ad sapientiam peruenisse. I. At si mihi obsequeris, ad illam potius assurgendo nitendoque peruenies quam credendo: nihil enim ascendit altius, quam humilitas operosa. O. Magna mihi Sapientia est. I. Putassem forsitan si tacuisses, iam me premonuisti, quoniam ubi maior iactantia, sapientia minor esse solet, ut tuus ait Cicero: Qui se, inquit, iactat, statim inuenit derisorem, immò & tot irrisores, quot habet auditores. O. Inter Sapientes deputatus sum. I. Vnus forsan es de illo grege, quorum numerus multus est magnusque, quibus pretiosum magis est videri sapientes, & non esse quam esse quidem, nec videri: Sicut & multi sunt, qui iusti potius videri malunt & non es-

se, quàm esse iusti nec apparere. Primos igitur Sophistas vocat Aristoteles, secundos Hypocritas, amborum autem effectus fallere est, & in primis seipso, isti verbis, illi gestibus: alij nutibus, gestibus ac verbis iustos & sapientes se ostendunt, stultos autem prauosque moribus atque vita. Præterea si tu sapiens esses, utique non diceres: quippè non præsumit, non inflatur, verum gemit in seipso sapiens, non gloriatur, sed semper quod sibi desit ponderat, neque acquisita sed acquirenda semper cogitat: omnia namque illi desunt, qui sibi nil ad sapientiam deesse putat. Igitur si velis fieri sapiens, noli ut iam dixi te ipsum opinari sapientem. O. Verus tamen sapiens, consensus omnium iudicor. I. Ad Sapientiam veram nemo peruenire potest, qui falsa sapientia deceptus est: stultus igitur fias, oportet, ut esse possis sapiens. Perge ergo quo usque tibi stultus videaris: Et attingisti sapientiam, stultus verò tunc demum tibi esse videbere, cum ad tui ipsius cogitationem peruenies. Porro cum à sapere Sapientia dicitur, ille profectò sapiens esse iudicatur, cui res sapiunt prout sunt, qui sic rebus transitorijs nouit

uti, ne æternis obsint, ita quoque mode-
 ratè præsentì uti Mundo, ut quantum po-
 test fruatur ipso Deo. Denique hæc vera
 Sapientia est, qua sapit Deus sapienti, vi-
 uenti de spiritu eius, qua vitam suam or-
 dinat, componit mores, actus dirigit, ac
 omnia opera, suo quodam diuino sopo-
 re condidit atque format, qua eos etiam,
 cum quibus hic versatur homines, oleo
 lætificantis gratiæ adlinit, ut videntes
 opera eius bona, Patrem qui in cœlis est
 glorificent, gratiam habens ad Amicos,
 ad Inimicos patientiam, beneficentiam
 ad quos potest, & ad omnes beneuolen-
 tiam ad quos debet, neminem contem-
 nens, neminem iudicans, omnes diligens,
 & saluos fieri optans in visceribus chari-
 tatis. Postremò ut breuiter cum verbis
 Bernardi concludam, inuenisti, inquit,
 sapientiam: Si mala tua præterita desleas,
 si præsentia hæc bona parui pendas, si fu-
 tura bona toto cordis desiderio concu-
 piscas. O. Stultum me dixisti fieri oport-
 ere, ut sapiens sim. Quod quidem tunc
 demùm assequi poterò, ut dicis, cum me-
 ipsum nosse incepero: Quo igitur pa-
 cto, ediffere, mei ipsius notitiam adipi-
 scar? I. Reminiscere in primis Orator,
 & læ-

& sæpenumerò tua in mente reuolue
 quid sis: magna siquidem mortalium tur-
 ba ignara sui, quid in terris sit agendum,
 quidque in cœlis agitur, quærit, philoso-
 pho cuidam persimilis, qui syderum cur-
 sus noctu cum Astrolabio metiretur, in
 limosam lapsus est specum, quod Ancil-
 la sua cachinno magno ridens, Herus, in-
 quit, meus ignorat quod ante pedes est,
 vile lutum, & rimari tentat arcana cœ-
 lorum. Debet ergo homo id primum
 inquirere quid sit. Homo, inquit, Por-
 phyrus, est animal rationale mortale,
 Mortale, ait Bernardus, temperet ratio-
 nale, ne fortè in superbiam tollatur, &
 rationale confortet mortale, ne in despe-
 rationem labatur. Hinc Bernardus ad
 Eugenium quem modò allegaui: A te,
 inquit, tua consideratio inchoët, ne fru-
 strâ extendaris ad aliâ te neglecto. Quid
 tibi prodest vniuersum lucrari Mundum
 te ipsum perdens? noueris licet omnia
 mysteria, noueris lata terræ, profunda
 Maris, alta cœli, si te nescieris, similis e-
 ris viro ædificanti absque fundamento,
 ruinam non structuram faciens: Non est
 sapiens, qui sibi non est sapiens, in acqui-
 sitione enim salutis tuæ, nemo tibi ger-

manior neque propinquior, hæc Bernardus. Sunt præterea nonnulli adeò seu farui seu elati, qui seipsis ignoratis, scientiam diuinorum assequi putant, sed quo pacto vult ille Deum cognoscere, qui seipsum conuincitur ignorare? Nescienti seipsum impossibile est scire Deum. Ex sui nempè cognitione oritur humilitas & timor Dei, quid fuit homo nasciturus, quid sit natus, quid mortuus erit? Ex sui verò ignorantia oritur superbia, natione vt dixi cœlestis, alta semper appetens, vt grauiori casu ad infima ruat, quæ fecit Angelos Dæmones & Dæmonibus Homines coæquauit. Ex superbia oritur Dei ignorantia, ex qua infœlix desperatio, sæpenumerò consurgit: at verò sine timore Dei & humilitate quis potest de salute præsumere? Ille solus est verè sapiens, ac seipsum intelligens, qui vilem se ac paruum reputat: qui verò se magnum aliquid esse existimat, cum non sit fallitur, illa & vera sapientia in eo non est. O. Perge verò obsecro, perge, inquam, talia mihi inaudita hæctenus verba salutaria enarrare, sunt enim, vt video, ad salutem magis accedentia, quàm vt Ciceronis aut Quintiliani reliquorum-
ue

ūe in meis Oratorijs libris contentorum.
 I. Pergam profectò, idque etiam libens.
 Verè sapiens & rectus apud Deum ille a-
 nimus est, qui cogitat qualis vita, non
 quanta sit. Nempè vt pulchrè ait & splen-
 dide Lactantius: Si vt viuendi, sic & be-
 nè viuendi cura nobis esset, infinitos pe-
 nè labores quibus stultitia æstuat huma-
 na, tanquam superfluos & insanos fugien-
 dos longè vitaremus. Sed heu nemo iam
 vel admodum rarus, quam benè viuat,
 sed quamdiù curat, cum tamen omnibus
 in potestate est vt benè viuant, vt diù ve-
 rò nemini. Quid est autem aliud diù vi-
 uere, quàm diù torqueri? Et quantò diu-
 tius quis in vita fuerit, tantò, maiori hac
 grauatur oneraturque sarcina peccato-
 rum. Et non vides ô Orator, immò ô
 quilibet homo, quod sic es in vita ista,
 quasi Hospes in domo aliena, qua die ne-
 scit Hospes, vel qua hora dicatur ei: Exi
 foras, quia quam inhabitas domus tua
 non est. Homo quippè vitæ commoda-
 tus est, non donatus. Sapiens in hac vita
 sic dies studet agere transitorios, vt in fu-
 tura dies æternitatis inueniat. Stude igi-
 tur ô Homo sapiens esse, desideras sal-
 tem lethaliter non peccare. A venialibus

enim cum septies in die cadat iustus, quis potest omnino continere? quod si peccaueris, orationibus, holocaustis, lachrymis, atque eleemosynis tu quoad potes iustitiam redime. Ait enim in Ecclesiastico Salomon: Fili peccasti, non adicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Sed hoc vnum est, quod te viribus totis fugere admoneo, procrastinatio scilicet emendationis & poenitentiae. Dico enim tibi, quod Deus, qui peccanti veniam spondit, peccanti diem crastinum non promisit. Testis est tuus in Tragœdijs Seneca ita dicens?

*Nemo tam diuos habuit fauentes
Crastinum ut posset sibi polliceri.*

Deus enim licet veniam ut dixi poenitenti promiserit, non tamen promisit ei dare voluntatem poenitendi, sicut nec voluntatem peccandi dedit. Immittit namque Diabolus longioris vitæ securitatem, ut inferat perditionem, nec dinumerare est possibile, quantos hæc inanis spei fallax vmbra deceperit. Audi quàm pulchrè ait Gregorius: Deus quos diu ut conuertatur expectat, non conuersos durius damnat. Audi etiam si vis Augustinum suprâ Ioannem angelica potius quàm

quàm humana verba resonantem: Inten-
 dant, inquit, qui amant in Domino man-
 suetudinem & timeant veritatem. Ete-
 nim dulcis & rectus Dominus, amas quod
 dulcis est, time quod rectus est, tanquàm
 mansuetus dixi tacui, sed tanquam iustus
 nunquid semper tacebo? Misericors &
 miserator Dominus. Ita planè, adhuc ad-
 de longanimis, adde adhuc & multum
 misericors, sed time quod est in nouissi-
 mo & Verax. Mansuetus Dominus, lon-
 ganimis Dominus, misericors Dominus,
 sed & iustus Dominus & verax Dominus.
 Largitur tibi spatium correctionis, sed
 tu plus amas dilationem quàm emenda-
 tionem. Malus fuisti heri, hodie bonus
 esto, & hodiernum diem malitia peregi-
 sti, vel cras mutare: Semper expectas &
 de misericordia Dei tibi plurimum pol-
 liceris, quasi ille qui tibi per patientiam
 promisit, indulgentiam promittat, tibi
 etiam prolixioram vitam spondeat. Un-
 de scis, quid pariat crastinus dies? Rectè
 dicis in corde tuo: Quando me correxe-
 ro, Deus mihi omnia peccata dimittet.
 Negare non possumus, correctis atque
 conuersis indulgentiam Deus pro-
 misit, nam in quo Propheta mihi legis,

quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam. Ex utroque igitur homines periclitantur, & sperando, & desperando, contrarijs rebus contrarijs affectionibus, Sperando decipitur is qui dicit: Bonus est Deus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, quo libet laxem habenas cupiditatibus meis, ut impleam desiderium animæ meæ: quare hoc? quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus: Spe isti periclitantur, Desperatione autem, qui cum incidant in grauia peccata putantes, sibi non posse iam ignosci pœnitentibus, & statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt apud seipos: iam damnandi sumus, quare non quod volumus facimus? Ideò molesti sunt desperati, iam enim quod timeant non habent, & vehementer timendi sunt, istos desperatio necat, illos spes. Inter spem & desperationem fluctuat animus, metuendum est ne te occidat spes, & cum speras multum de misericordia, ne incidas in iudicium. Metuendum est rursus, ne te occidat desperatio, & cum putas iam tibi non ignosci quæ grauia commisisti, non agas pœnitentiam,

rentiam, & incurras in iudicem, sapientiam, quæ dicit: Et ego vestræ perditioni superridebo: quid ergo agit Deus cum periclitantibus utroque morbo? Illis qui spe periclitantur hoc dicit: Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem: subito enim venit ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Illis qui desperatione periclitantur quid dicit? In quacunque die iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar. Propter illud ergo qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ peccatum: propter illos verò qui spe periclitantur & dilationibus includuntur, fecit diem mortis incertum: Quando veniat vltimus dies nescis, ingratus es, quia hodiernum habes in quo corrigaris, hinc dixit ad peccatricem mulierem Dominus: Nec ego te condemnabo, vade, deinceps iam noli peccare, sed facta secura, de præterito caue futura, nec ego, inquam, te condemnabo, de leui quod commisisti, obserua quod præcepi, vt inuenias quod promisi. Hæc Augustinus, audisti iam Augustinum & Orator: audisti etiam & Chrysostrum super Ioannem sic dicentem: Quid est latrone & homi-

cida deterius? Nonné vltima hæc species malitiæ est, & tamen ad summum virtutis confestim peruenit, & ipsum migravit Paradisum non diebus indigens, non vna die, sed breui momento. Quare licet repente transponi, & fieri aureum ex luteo? quia enim non natura virtus aut malitia est, facilis est transpositio ab omni necessitate, cruta, si volueritis, & audieritis me, ait, Dominus, bona terræ comedetis. Vides quoniam voluntate indiget sola, voluntate quidem non communi, & nuda quæ est multorum, sed studiosa quæ paucorum est, quia omnes noui in cœlum velle euolare nunc, sed per opera oportet voluntatem ostendere. Etenim negotiator qui vult ditari, non solum vsque ad mentem voluntatem sistit, sed nauem construit, & congregat nautas, & rogat gubernatorem, & in omnibus alijs præparat nauim, & pecuniam fœneratur, & transit pelagus, & ad extremam vadit terram, & pericula sustinet multa, & alia omnia quæ sciunt qui mare nauigant, ita & nos oportet voluntatem ostendere, nauigamus enim & nos nauigationem, non eam quæ à terra in terram, sed eam quæ à terra in cœlum.

con-

construamus, igitur mentem nostram ad aptam gubernationem quæ sursum fert, & nautas ei obediētes, & nauim solidam, vt neque circumstantia neque tristitia submergatur mundiali, neque elationis eleuetur spiritu, sed benè præcincta sit & leuis, si sic quidem nauim, si sic verò gubernatorem & nautas præparabimus, cum aptitudine ventorum nauigabimus, & Filium Dei qui verus est Gubernator attrahemus ad nos ipsos, qui non dimittet submergi nauim nobis, sed & si infiniti flauerint venti, & ventos increpabit, & mare & pro fluctuatione multam tribuet tranquillitatem. Hæc Chrysostomus. Veruntamen quæ suprâ dicta sunt, ferè omnia de sola creata, & quæ homini inesse potest, sapientia dixerim. Est quidem & alia sed increata sapientia, longè illa præstantior longeque differentior, & tantò quidem, quantò finitum ab infinito, æternum à temporali differt. Media tamen ista ad illam, & non aliundè peruenitur. O. Vt audio cum te Idiotam reputes, sapere tamen non modicum videris. I. Hæc est fortasse inter te & me differentia, tu te sapientem putas, cum non sis, hinc superbis. Ego verò Idio

156 FR. PETRARCH. DE

ram me esse cognosco, hinc humilior, & in hoc fortè doctior existo. O. Quomodo ductus esse potes ad scientiam ignorantiae tuæ, cum sis Idiota? I. Non ex tuis, sed ex Dei libris. O. Qui sunt illi? I. Quos suo digito scripsit. O. Vbi reperjuntur? I. Ubique. O. Igitur & in hoc foro? I. Immò iam & in capite libri dixi: quod Sapientia clamitet in plateis. O. Optarem audire quomodo. I. Si te absque curiosa inquisitione affectum concupiscerem, magna tibi pandere. O. Potes ne breui tempore efficere, vt quid velis degustem? I. Possum. O. Contrahamus igitur nos in hanc tonsoris proximam quæso apothecam, vt sedentes quietius loquamur. Placuit Idiotæ. Et intrantes locum aspectum in forum vertentes sic exorditus est Idiota sermonem.



FRAN-

FRANCISCI PETRARCHÆ V. C. DE
VERA SAPIENTIA,
DIALOGVS. II.

Collocutores.

IDIOTA, ORATOR.



QVONIAM tibi in præcedentibus dixi, Sapientiam clamare in plateis, & quod clamor eius est ipsam in altissimis habitare: hoc tibi ostendere sic conabor. Et primum velim dicas, quid hic aspicias in foro? O. Video ibi numerari pecunias, in alio angulo ponderari merces, ex opposito mensurari oleum & alia. I. Hæc sunt opera rationis illius, per quam homines bestiis antecellunt. Nam numerare, ponderare & mensurare bruta nequeunt: attende nunc Orator per quem, in quo, & ex quo hæc fiunt, & dicito mihi. O. Per discretionem. I. Rectè dicis, per quid autem discretio? Nonne per vnum numeratur? O. Quomodo. I. Nonne vnū est vnū semel, & duo est vnū bis, & tria est vnum ter, & sic deinceps.

O. Ita est. I. Per vnum igitur fit omnis numerus. O. Ita videtur. I. Sic vt igitur vnum est principium numeri: sic pondus minimum est principium ponderandi, & mensura minima principium mensurandi. Vocetur igitur illud pondus vncia & mensura Petatum: Nonne sicut per vnum numeratur, ita per vnciam ponderatur, & expetito mensuratur? nonne hæc sic se habent. O. Immo. I. Per quid autem attingitur vnitas, per quid vncia, per quid Petatum? O. Nescio. Sic tamen quod vnitas non attingitur numero, quia numerus est post vnum. Sic nec vncia pondere, nec petatum mensura. I. Optimè ais Orator. Sicut enim simplex prius est natura composito, ita compositum natura posterius, vnde compositum non potest mensurare simplex sed conuerso: ex quo habes quomodo illud per quod, ex quo, & in quo omne numerabile numeratur, non est numero attingibile, similiter illud per quod, ex quo, & in quo, omne ponderabile ponderatur, non est pondere attingibile, similiter & id, per quod, ex quo, & in quo omne mensurabile mensuratur, non est mensura attingibile. O. Hoc clarè conspicio. I. Hanc
cla-

clamorem sapientiæ in plateis transfer
 in altissimis, vbi sapientia habitat, & mul-
 tò delectabiliora reperies, quàm in omni-
 bus ornatissimis voluminibus tuis. O.
 Nisi quid per hoc velis exponas, non in-
 telligo. I. Nisi ex affectu oraueris pro-
 hibitus sum ne faciam: nam secreta æter-
 næ atque increatæ sapientiæ, non sunt
 omnibus passim aperienda. O. Multum
 desidero te audire: & ex paucis inflam-
 mor: ea enim quæ iam præmisisti, ali-
 quid magni futurum enunciant, rogo
 igitur vt incepta prosequaris. I. Nescio
 si liceat tanta secreta detegere, & tam al-
 tam profunditatem facilem ostendere,
 tamen nequeo me continere, quin tibi
 complaceam. Ecce frater, summa Sapien-
 tia est hæc, vt scias quomodo in simili-
 tudine iam dicta attingitur inattingibi-
 le inattingibiliter. O. Mira dicis & ab-
 sona. I. Hæc est causa cur occulta non
 debent communicari omnibus, quia eis
 absona videntur. Admiraris me dixisse
 sibi contradicentia: dico autem, quod si-
 cut iam ante de vnitatis vnciam & peti-
 to dixi, ita de omnibus quo ad omnium
 principium dicendum. Nam omnium
 principium est, per quod, ex quo, & in

quo omne principiabile principiatur, & tamen per nullum principiatum attingibile. Ipsum est per quod, ex quo, & in quo omne intelligibile intelligitur: & tamen est intellectu intelligibile: & similiter per quod, ex quo, & in quo, omne fabile fatur, & tamen est fatu ineffabile. Sic est per quod, ex quo, & in quo, omne terminabile terminatur, & tamen est termino interminabile & fine infinibile, tales facere potes innumerabiles verissimas propositiones, & omnia tua oratoria volumina illis implere, & alia sine numero illis addere, vt videas quomodo Sapientia in altissimis habitat. Altissimum enim est, quod altius esse non potest: Sola infinitas est illa altitudo. Vnde Sapientia, quam cum omnes homines natura scire desiderant, cum tanto mentis affectu quærunt, non aliter scitur, quam quod ipsa est omni scientia altior, & inscibilis, & omni loquela ineffabilis, & omni intellectu intelligibilis, & omni mensura immensurabilis, & omni proportione improportionabilis, & omni imaginatione imaginabilis, & omni sensatione insensibilis, & omni tractatione intractabilis, & omni gustu ingustabilis, & omni

& omni auditu inaudibilis, & omni visu inuisibilis, & omni apprehensione inapprehensibilis, & omni affirmatione infirmabilis, & omni negatione innegabilis, & omni dubitatione indubitabilis, & omni opinione inopinabilis. Et quia omni eloquio est inexpressibilis, harum locutionum non potest finis cogitari, cum omni cogitatione sit incogitabilis, ipsa gloriosa, atque æterna Sapientia, per quam, ex qua, & in qua omnia. O. Hæc indubiè maiora sunt, quam à te audire putabam. Non cesses, quæso, me illò ducere, vbi aliquid talium altissimarum theoreticarum, tecum quàm suaviter degustem: nam video te non satiari semper de illa sapientia loqui. Maxima autem ut puto dulcedo hoc agit, quam nisi interno gustu saperes, te non tantum alliceret. I. Sapientia est quæ sapit, qua nihil dulcius intellectu. Neque censendi sunt quouis modo sapientes, qui verbo tantum & non gustu loquuntur: illi autem cum gustu de sapientia loquuntur, qui per eam ita sciunt omnia, quod nihil omni. Per sapientiam enim & ex ipsa, & in ipsa est, omnè internum sapere. Ipsa autem, quia in altissimis habitat, nullo

L. j.

162 FR. PETRARCH. DE

saporem est gustabilis, ingustabiliter ergo
gustatur, cum sit altior omni gustabili,
sensibili, rationali, & intellectuali. Hoc
est autem ingustabiliter & à remotis gu-
stare, quasi si odor quidem dici potest
præ gustatio ingustabilis. Sicut enim o-
dor ab odorabili multiplicatus, in alio
receptus nos allicit ad cursum, ut in odo-
re unguentorum ad unguentum curra-
tur, ita æterna & infinita sapientia cum
in omnibus reluceat, nos allicit, ex qua-
dam præ gustatione affectuum, ut mira-
bili desiderio ad ipsam feramur. Cum e-
nim ipsa sit vita spiritualis intellectus,
qui in se habet quandam conaturatam
præ gustationem, per quam tanto studio
inquirat fontem vitæ suæ, quem sine præ-
gustatione non quæreret, hinc ad eam
ut ad propriam suam vitam mouetur, &
dulce est omni spiritui ad vitæ princi-
pium, quamvis inaccessible continet
ascendere & quando eò ducitur vitam
suam quærens, tantò plus gaudet, quantò
suam vitam infinitam atq; immortalem con-
spicit, & sic euenit ut inaccessibleitas, si-
ne incomprehensibilitas infinitis vitæ
suæ, sit sua desideratissima comprehen-
sio quasi si quis haberet thesaurum pe-
cuniarum

lunia, & ad hoc pertingeret, quod illum
 sciret innumerabilem, imponderabilem,
 & immensurabilem, hæc scientia in-
 comprehensibilitatis est gaudiosa, & op-
 ratissima comprehensio, non quidem ut
 ad comprehendentem refertur, sed ad
 ipsum quoque amorphissimum thesau-
 rum. Quasi si quis amet aliquid, hic gau-
 det in amabili, infinitas & inexpressibi-
 les amores causas reperiri, & hæc est
 gaudiosissima comprehensio amantis,
 quando incomprehensibilem esse ama-
 ti amabilitatem comprehendit, nequa-
 quam enim tantum gauderet se amare,
 secundum aliquid, incomprehensibile
 amatum, sicut quando sibi constat amati
 amabilitatem esse penitus immensura-
 bilem, infinibilem, interminabilem ac
 incomprehensibilem, hæc est gaudiosis-
 sima incomprehensibilitatis compre-
 hensibilitas. O. Intellego fortè, iudica-
 bis. Nam hæc videtur tua intentio, quod
 principium nostrum, per quod, ex quo,
 in quo sumus & mouemur, tunc gusta-
 tur à nobis, ut principium, medium & fi-
 nis, quando eius vitalis suauitas, ingusta-
 biliter gustatur per affectum, & incom-
 prehensibiliter comprehenditur per in-

L. ij.

164 FR. PETRARCH. DE
tellectum. At verò qui ipsum gustabili-
ter gustare & comprehensibiliter com-
prehendere nititur, ille penitus est sine
gustu & intellectu. I. Optimè cœpisti
Orator, ob hoc, qui non aliud sapien-
tiam putant, quam id quod est intelle-
ctu comprehensibile, & non aliud foeli-
citatem putant, quam eam quæ est attri-
gibilis per eos, hi longè sunt à vera Sa-
pientia æterna & infinita, sed conuerfi
sunt ad finibilem quandam quietem, vbi
putant lætitiã vitæ esse, sed non est.
Hinc se deceptos comperientes in cru-
ciatu sunt. Nam vbi foelicitatem esse
putabant, ad quam se omni conatu con-
uertebant, ibi ærumnam reperiunt, &
mortem. Sapientia enim infinita est in-
deficiens vitæ pabulum, de quo æterna-
liter viuit Spiritus noster: qui si rectus
est, non nisi sapientiam & veritatem a-
mare potest. Omnis enim intellectus
appetit esse, suum esse est viuere, suum
viuere est intelligere, suum intelligere
est pasci sapientia & veritate. Vnde in-
tellectus qui non est degustans, clarans
sapientiam, hic est vt oculus in tenebris.
Est enim oculus sed non videt, quia non
est in luce, & quia caret vita delectabili,
quæ

quæ cōsistit inuidere, tunc est in ærumna
 & cruciatu, & hoc est mors potius quàm
 vita. Sic intellectus ad omne aliud, quàm
 ad æternæ sapientiæ pabulum conuer-
 sus, se extra vitam, quasi in tenebris
 ignorantiae inuolutum potius mortuum,
 quàm viuum reperiet. Et hic est crucia-
 tus mirabilis, intellectuale esse habere,
 & nunquam intelligere. Sola enim æter-
 na Sapientia est, in qua omnis intelle-
 ctus intelligere potest. O. Pulchra cer-
 tè atque rara, & mihi gratissima narras:
 nunc age quæso, quomodo eleuari que-
 am ad aliqualem gustum æternæ Sapien-
 tiæ. I. Aeterna Sapientia in omni gu-
 stabili gustatur, ipsa est delectatio, in
 omni delectabili, ipsa est pulchritudo in
 omni pulchro, ipsa est appetitio in omni
 appetibili, & sic in cunctis delectabili-
 bus vel desiderabilibus dicito: Quomo-
 do ergo tunc potest non gustari? Non-
 né vita est gaudiosa, quando est secun-
 dum desiderium tuum? O. Immò nihil
 plus. I. Cum ergo hoc desiderium tuum
 non sit nisi per æternam Sapientiam, ex
 qua, & in qua est, & hæc vita foelix, quam
 desideras, similiter non sit, nisi ab eadem
 æterna Sapientia in qua est, & extra quam

nequit esse, hinc non aliud in omni desiderio intellectualis vite desideras, quam eternam Sapientiam, quæ est desiderij tui complementum, principium, medium & finis. Si igitur est tibi stulte hoc desiderium immortalis vite, vt æternaliter feliciter viuas, quandam in te prægustationem experiris æternæ Sapientia, nihil enim penitus in congruum appetitur. Sunt enim Poma apud Indos quorum prægustationem cum non habemus, ea non appetimus sed cum sine nutrimento viuere non possumus, appetimus nutrimentum. Habemus autem nutrimenti quandam prægustationem, vt viuamus sensibiliter. Et hinc puer quandam habet lactis prægustationem, in sua natura, quare dum esurit ad lac mouetur: ex quibus enim sumus ex illis nutrimur, sic intellectus noster habet vitam suam ab æternæ Sapientia, & huius habet aliqualem prægustationem. Vnde in omni pascencia, quæ sibi vt viuat necessaria est, non mouetur, nisi vt inde pascatur, à quo habet hoc intellectuale esse, si igitur in omni desiderio vite intellectualis attingeres: A quo est intellectus, per quod mouetur, & ad quod in te comperires

dnlj

dulcedinem æternæ Sapientiæ, illam esse
 quæ tibi facit desiderium tuum ita dul-
 ce ac delectabile, vt in enarrabili affe-
 ctu feraris ad eius comprehensionem.
 tanquam ad immortalitatem vitæ tuæ,
 quasi ad Ferrum & Magnetem attendas.
 Habet enim Ferrum in Magnete quod-
 dam sui fluxus principium, & dum Mag-
 nes per sui præsentiam excitat ferrum
 graue & ponderosum, tunc mirabili de-
 siderio fertur, etiam supra motum natu-
 ræ, quo secundum grauitatem deorsum
 tendere debet, & sursum mouetur, se
 suo principio vniendo. Nisi enim in ferro
 esset quædam prægustatio naturalis ipsi-
 us Magnetis, non moueretur plus ad
 Magnetem quàm ad alium Lapidem: &
 nisi in Magnete esset maior inclinatio
 ad Ferrum quàm ad cuprum, non esset
 illa attractio. Habet igitur spiritus no-
 ster intellectualis, ac æterna Sapientia
 principium, sic intellectualiter essendi,
 quod esse est conformius ipsi sapientiæ,
 quàm esse non intellectuale. Hinc irra-
 diatio seu immissio in sanctam animam
 est, motus desideriosus, in excitatione.
 Qui enim quærit motu intellectuali Sa-
 pientiam, hic interne tactus ad prægu-

L. iij.

standam dulcedinem, sui oblitus rapitur
 in corpore quasi extra corpus omnium
 sensibillum pondus eum tenere nequit,
 quousque se vniat trahenti sapientiæ,
 Et tunc ex stupida admiratione sensum
 relinquens, insanire facit animam, vt cun-
 cta præter ipsam nihili faciat, & talibus
 dulce hunc Mundum relinquere, vt expe-
 ditius ferri possint, in ipsam immortali-
 tatis sapientiam. Hæc prægustatio facit
 Sanctis omne apparens delectabile, ab-
 ominabile, & omnia corporalia tormen-
 ta, propter ipsam citius adipiscendam,
 æquissimo animo ferre. Hæc nos in-
 struit, hunc nostrum Spiritum ad ipsam
 conuersum nunquam deficere posse. Si
 enim hoc corpus nostrum spiritum o-
 mni sensibili ligamento tenere nequit,
 quin auidissime ad ipsam corporeo di-
 misso officio feratur, nequaquam defi-
 ciente corpore, deficere potest. Hæc e-
 nim est eius assimilatio, quæ Spiritui no-
 stro naturaliter inest, per quam non
 quietatur imago, nisi in eo cuius est ima-
 go, à quo habet principium, medium
 & finem. Viua autem imago, per vi-
 tam motum ex se exerit, ad exemplar in
 quo solum quiescit. Nam vita imaginis

non potest in se quiescere, cum sit vita
 vitæ veritatis, & non sua hinc mouetur,
 ad exemplar, vt ad veritatem sui esse: si
 igitur exemplar est æternum, & imago
 habet vitam, in qua prægustat suum ex-
 emplar, idcirco desideriosè ad ipsum
 mouetur. Et cum motus rei vitalis non
 possit quiescere, nisi in infinita, quæ est
 æterna Sapientia: idè non potest cessa-
 re spiritualis ille motus, qui nunquam
 infinitam vitam infinite attingit. Sem-
 per enim tam gaudiosissimo desiderio
 mouetur, vt attingat, quod nunquam
 de delectabilitate attractus fastiditur. Est
 enim Sapientia æterna, cibus saporissi-
 mus, qui satiando desiderium sumendi
 non minuit, vt in æterna cibatione nun-
 quam cesset delectari. O. Indubiè te
 optimè dixisse teneo: Sed valdè referre
 video inter gustum sapientiæ, & ea quæ
 de gustu proferri posse. I. Benè dicis, &
 placet à te hoc verbum audisse. Sicut e-
 nim omnis scientia de gustu rei nun-
 quam gustatæ, vacua & sterilis est, quo-
 usque sensus gustus attingat: ita de hac
 Sapientia, quam nemo gustat per audi-
 tum, sed solum ille, qui eam accipit in
 interno gustu, ille perhibet testimoni-

170 FR. PETRARCH. DE

um non de his quæ audiuit, sed in seipso
experimentaliter gustavit, scire multas
amoris descriptiones, quas Sancti nobis
reliquerunt sine amoris gustu, vanitas
quædam est. Quapropter ad quæren-
dam æternam Sapientiam, non sufficit
scire quæ de ipsa leguntur, sed necesse
est postquam intellectus reperit, ubi est
quod eam affectu suam faciat, quasi qui
inuenit agrum, in quo est thesaurus, non
potest gaudere de thesauro in agro, non
suo existente, quare vendit omnia & e-
mit agrum illum, ut in suo agro habeat
thesaurum: Vnde oportet omnia ven-
dere & dare. Non vult enim æterna Sa-
pientia haberi, nisi ibi, ubi habens nihil
de suo tenuit ut eam haberet, Id autem
quod de nostro habemus vitia sunt, de
æterna verò Sapientia non nisi bona.
Quapropter Spiritus Sapientia non ha-
bitat in corpore subdito peccatis, neque
in malivola anima, sed in agro suo pu-
ro, & sapientiali munda imagine, quasi
in Templo sancto suo. Vbi enim æterna
habitat Sapientia, ibi est ager Domini-
cus ferens fructum immortalem. Est e-
nim ager virtutum, quem Sapientia col-
lit, ex quo nascuntur fructus Spirituales,

qui

VERA SAP. DIAL. II. 171

qui sunt Iustitia, Pax, Fortitudo, Temperantia, Castitas, Patientia, & ceteri tales: Et licet æterna Sapientia se omnibus communicet liberalissimè, cum sit infinitè bona, tamen à nullo capi potest, uti est: identitas enim infinita, non potest in alio recipi, cum in alio aliter recipiatur, & cum non possit in alio nisi aliter recipi, tunc recipitur meliori modo quo potest. Sed immultiplicabilis infinitas, in varia receptione melius explicatur, magna enim diuersitas immultiplicabilitatem melius exprimit. Ex quo euenit, ut Sapientia in variis formis variè recepta hoc efficiat, ut quælibet ad identitatem vocata, modo quo potest Sapientiam participet: Ut quædam eandem participant, in quodam valde distantia à prima forma, quibus vix esse elementale tribuit. Alia adhuc in nobiliori gradu, quibus vitam præbet vegetabilem: adhuc alia in altiori, quibus vitam sensibilem, post hoc quibus animalem, deinde quibus rationalem, demum quibus intellectualem, & hic gradus est altissimus, proximior scilicet Sapientiaæ imago. Et hic solus est gradus, habens promptam & innatam apti-

tudinem, sed ad Sapientiæ gustum eleuandi, quia in illis intellectuabilibus naturis imago Sapientiæ uiuit, uita intellectuali. Cuius uitæ vis est, ex se uitalem motum exerere, qui motus est per intelligere ad suum proprium obiectum, quod est ueritas absoluta, quæ est æterna Sapiencia pergere. Nunc itaque pro hoc breui tempore, hæc sic dicta sufficiant, ut scias: Sapienciam esse, non in arte oratoria, aut in magnis voluminibus, sed in separatione ab istis sensibilibus, ac in conuersione ad simplicissimam & infinitam formam, & illam recipere in Templo purgato ab omni uitio, & feruido amore ei inhærere, quousque degustare eam queas, & uidere quam suauis sit illa, in qua est omnis Suauitas. Qua degustata uilescent tibi omnia, quæ nunc tibi magna videntur, & humiliaberis, ut nihil arrogantia in te remaneat, neque aliud quodcunque uitium, quin castissimo & purissimo corde semel degustatæ Sapienciæ, indissolubiliter adhærebis, etiam hunc Mundum, & cuncta quæ non sunt, ipsa magis quam ipsam deserendos, & cum indicibili lætitia uiues

VERA SAP. DIAL. II. 173

at morieris, & post mortem in ipsa
amorosissimo amplexu æternaliter re-
quiesces. Quod tibi & mihi con-
cedat ipsa Dei Sapiaentia,
semper benedi-
cta.

F I N I S.



WIE RICHARD J. J. ...

...
...
...

...
...
...

F I N I S

...
...
...

...
...
...

...
...
...

...
...
...

...
...
...


...
...
...

...
...
...

...
...
...



Handwritten initials or a small mark on the left margin.



44 17
h 12

X 258 7282

ULB Halle

3

006 655 262



V D 17






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



3
CISCI
ARCHÆ
C.
RELIGIO-
RV M,
DVO.
DEM
RA SA-
NTIA,
R NÆ
nes le Preux, Illu-
a Typographus.
C. 1111.

